ELUCUBRATIO

DE DOGMATICA

SUMMI PONTIFICIS INFALLIBILITATE

EIUSQUE DEFINIBILITATE

PER

R. P. D. IOSEPHUM CARDONI

ARCHIEPISCOPUM EDESSENUM

ELUCUBRATIO

DE DOGMATICA

ROMANI PONTIFICIS INFALLIBILITATE

EIUSQUE DEFINIBILITATE

PER

R. P. D. IOSEPHUM CARDONI

ARCHIEPISCOPUM EDESSENUM

ROMAE

TYPIS CIVILITATIS CATHOLICAE

1870

INDEX

INTRODUCTIO

Ante Constantiensis Concilii celebrationem nemo unquam catholicorum sententiam de infallibilitate Romani Pontificis ex cathedra loquentis, in rebus fidei ac morum, ausus est oppugnaro, sed ab omnibus catholicis uti universalis Ecclesiae doctriua habita semper fuit, privilegium hoc Divo Petro, eiusquo in primatu succesoribus, fuisse a Chisto Domino tributum. Schismatici tantum Graeci id inficiati sunt. Neque mirum esso debet, homines ab obedientia, et subiectione Romani Pontificis, voluntarie subtractos, et eius Primatum negantes, etiam quod est necessario cum Primatu coniunctum respuisso: quin imo eorum pertinaciae fundamentalis error fuit Romanos Pontifices in rebus fidei, et morum fallibiles esso, uti ex iis quae tempore Photii Aeneas Parisiensis et Rotramus, Monachus Corbeiensis, scripserunt, eruitur. At luculentissimum hac de re testimonium reddit Anselmus, Havelburgensis Episcopus, a Lothario Secundo Imperatore Constantinopolim missus, qui a sapientioribus Graecis Episcopis provocatus in celebri conventu de controversiis, quae sunt inter Graecos et Latinos, disputationem cum Nechite, Nicomediae Archiepiscopo, instituit.

Narrat itaque in suo opere in forma dialogi iussu Eugenii III conscripto, Nechitem Romani Pontificis primatum, ac in Oecumenicis Conciliis praesidentiam ultro concessisse hisce verbis: « Romana Ecclesia, cui nos quidem inter has sorores primatum non negamus, et cui in Concilio generali praesidenti, pri-

« mum honoris locum recognoscimus »: at potissimum doctrinam respuendam esse contendebat a catholicis omnibus eo tempore retentam, Romani Pontificis iudicia in rebus fidei ac morum esse prorsus irreformabilia. Haec sunt Archiepiscopi verba: « Quid « igitur nobis Scripturarum scientia? Quid nobis literarum stu- « dia? Quid sapientum Graecorum nobilissima ingenia? Sola Ro- « mani Pontificis auctoritas, quae, sicut tu dicis, super omnes « est, universa haec evacuat. Solus ipse sit Episcopus, solus Ma- « gister, solus Praeceptor, solus de omnibus sibi soli commissis, « soli Deo, sicut solus bonus Pastor respondeat ». E contra Anselmus tum Pontificis Primatum, tum in rebus fidei eius inerrantiam ad catholicam fidem pertinere ostendit. « Ad hoc etiam, in- « quit, Sancta Romana Ecclesia prae ceteris a Domino praeelecta « speciali privilegio ab Ipso donata est, et beatificata, et quasi « quadam praerogativa omnibus Ecclesiis praeeminet, et iure di- « vino antecellit. Aliis namque diversis in temporibus variis hae- « resibus occupatis, et in fide Catholica nutantibus, illa supra pe- « tram fundata, et solidata semper mansit inconcussa, nullis fal- « sis, et sophisticis haereticorum argumentis a simplicitate fidei... « avelli potuit; quia scuto Divinae Sapientiae, Domino largiente, « contra dolosas quaestiones semper munita fuit . . . Unde et Do- « minus sciens alias Ecclesias haeretica impulsione nimium vexan- « das, et Romanam Ecclesiam, quam ipse supra petram funda- « verat, nunquam in fide debilitandam, dixit Petro: *Ego rogavi « pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus con- « firma fratres tuos;* ac si aperte ei dicat: Tu qui hanc gratiam « accepisti, ut aliis in fide naufragantibus, semper in fide immo- « bilis, et constans permaneas, alios vacillantes confirma, et corri- « ge, et tamquam omnium provisor, et Doctor, et Pater, et Magi- « ster omnium curam et sollicitudinem gere. Merito ita privilegium « praelationis super omnes accepit, conservanda integritate fidei, « prae omnibus privilegium a Domino susceperat ». Ex his aliisque Anselmi verbis in eo Dialogo relatis apparet schismaticis fundamentum fuisse Graecorum errorem de fallibilitate Romani Ponti-

ficis in fidei ac morum controversiis, et e contra Catholicos omnes contrariam veritatem veluti de fide habuisse.

Hanc autem sententiam universalem apud Catholicos ante Concilium Constantiense fuisse, illi ipsi qui auctoritati Romanorum Pontificum invidentes inter catholicos Graecorum errorem invexerunt, Gerson nimirum ac Maior, inficiari non possunt. Gerson (De Potest. Eccl. Cons. 2) ita scribit: « Ante celebrationem Sacrosanctae « huius Constantiensis Synodi, sic occupaverat mentes plurimorum « litteratorum, quam illitteratorum ista traditio, ut oppositorum « dogmatizator fuisset de haeretica pravitate vel notatus, vel da« mnatus. Huius rei signum accipe, quia post declarationem, et « quod urgentius est, determinationem, et practicationem eiusdem « Synodi, inveniuntur qui talia passim asserere non paveant ». Idem (Ex communic.) posita controversia, an detur a Summo Pontifice ad Oecumenicum Concilium appellatio, haec habet: « Dixe« runt olim ante Concilium generale Pisanum, et Constantiense, « quod hoc nullo modo licebat, et allegant iura sua pro se valde, « ut eis videtur, expressa, sed constanter nunç asseritur, quod est « haeresis damnata, per Constitutionem Concilii Constantiensis. »

Idipsum clarius docet Maior (De Potest. Eccl., cap. 15). « Duo « sunt modi oppositi dicendi, quorum unus tenet Papam esse supra « Concilium universale; hunc modum tenuerunt aliqui Cardinalium « et tenent communiter Thomistae, et Romae, ut asseritur, nulli « fas est oppositum tueri. Alium modum semper nostra Universi« tas Parisina a diebus Cencilii Constantiensis imitata est; sic quod « in ea qui praedictam viam tenuerit, in campo cogitur eam revo« care. » Fatentur itaque ipsi huius novitatis Doctores nedum primis Ecclesiae saeculis apud Patres, sed posterioribus quoque usque ad saeculum decimum quintum constanter omnes catholicos inerrantiae privilegium in Romanis Pontificibus veneratos fuisse, et solum post Concilium Constantiense ad diuturnum schisma tollendum convocatum, perperam ab iis intellectum, tunc novam sententiam ab aliquibus catholicis fuisse excogitatam. Quod autem iudicium sit ferendum de nova doctrina, quae universali Ecclesiae traditioni adversatur, quae communiter, aliquibus Gallicanis exceptis,

ab Episcopis, et Doctoribus, et fidelibus fuit reiecta, nemo est in Theologicis disciplinis etiam parum versatus qui non videat.

Ab hac erronea opinione quam sequuti sunt non pauci ex Gallia Theologi, ortum habuit illa propositio a Conventu Cleri Gallicani edita, anno 1682, quae negat irreformabiles esse Pontificis definitiones in rebus fidei et morum, *nisi Ecclesiae consensus accesserit*; quae propositio in celebri Declaratione illius Conventus continetur. Defensio huius Declarationis, anno 1730, Luxemburgi prodiit, quae communiter Bossueto, alioquin de Ecclesia optime merito, tribuitur; hanc autem articulatim plenissime refutavit eruditissimus Pater Orsi (De irreformabili Romani Pontificis in definiendis fidei controversiis iudicio). Non defuerunt vero scriptores aliqui, qui distinctione instituta inter Ecclesiam Romanam, seu Sedem Apostolicam, et ipsum Romanum Pontificem, Apostolicae Sedi, non autem Pontifici infallibilitatem tribuunt. Inter hos adnumerantur Launoius, Vigorius, Bossuetus, Alexander Natalis, Dupin, d'Argèntré, P. Serry. De hac sententia ita Tournelius (Tom. 2. de Ecclesia): « Praeter duas opiniones, quarum una negat, altera affirmat, errori obnoxium esse posse Summi Pontificis de causis fidei iudicium, tertia quaedam est inter duas extremas veluti media, qua sibi videntur quidam omnia facile conciliare posse. Distinguunt illi ac discernunt inter Romanum Pontificem, et Romanam Ecclesiam; inter Sedem Apostolicam, et sedentem in ea. Petri successorem Pontificem quidem errare posse fatentur; non vero Apostolicam Sedem seu Romanam Ecclesiam. Ita imprimis Launoius, et alii ex recentioribus, quotquot Launoium exscribunt, ac Cleri Gallicani causam defendendam suscipiunt ». Tournelius vero distinguit duplicem infallibilitatem, activam et passivam, et passivam quidem Sedi Apostolicae adiudicare non recusat, qua fit, ut Deo providente nunquam totaliter, et ad longum tempus defectura sit in verae fidei doctrina. At loquimur hic de infallibilitate activa iudicii, et doctrinae, et quaerimus, an cum Summus Pontifex ex Cathedra loquitur, tamquam Magister docens Ecclesiam, errare possit, Sede ipsa non errante.

Tandem, observandum est Launoium, Bossuetum aliosque Scriptores eam solum infallibilitatem Apostolicae Sedi tribuere, qua ad

longum tempus et *per contumaciam,* aut *omnino* a vera fide defectura non sit, prout Alexandrinae Ecclesiae, et Constantinopolitanae contigisse vidimus; quapropter hi scriptores Sedi Apostolicao hoc privilegium habitualiter tantum cum aliqua possibili interruptione tribuunt, et admittunt esse privilegium hoc moraliter tantum continuum, quod ad breve tempus, pro lubito ab ipsis distentum, per doctrinam erroneam interrumpi possit.

Cum autem huius elucubrationis finis sit, ut fundamenta exponantur, quibus iudicari possit, an in revelationis deposito de irreformabili Summi Pontificis in rebus fidei ac morum iudicio doctrina contineatur, totum opus in veritate doctrinae stabilienda non autem in aliis scriptoribus refellendis impendemus.

Ut autem aliquo progrediamur ordine, tria distinctis capitibus discutienda erunt. 1. An veritas definibilis sit, Summum Pontificem in rebus fidei ac morum ex cathedra loquentem infallibilem esse. 2. An et quae conditiones requirantur ut Pontificia decreta irreformabilia prorsus sint. 3. An expediat et opportunum sit, ut in Vaticana Synodo haec veritas definiatur.

CAPUT I.

An sit definibile Summum Pontificem in rebus fidei et morum ex Cathedra loquentem esse prorsus infallibilem.

ARTICULUS I.

Argumentum ex Sacris Litteris.

Duo sunt praecipua Evangelica monumenta, ex quibus ostenditur Petro eiusque successoribus Christum Dominum infallibilem in docendo auctoritatem, circa res fidei ac morum tribuisse. Ea nos duabus distinctis paragraphis ad trutinam revocabimus.

§. I.

De Matth. cap. XVI, v. 18-19.

Primum ex memoratis Evangelii testimoniis illud est quod legitur Matthaei cap. XVI, v. 18, 19: « *Et Ego dico tibi, quia tu es Petrus,* (Syriaco *Cefas*, id est *petra*) *et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam: et tibi dabo claves regni coelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, ecc.* » Quibus verbis Christus in tota regenda Ecclesia honoris ac iurisdictionis Primatum Petro promisit. Duobus praecipue modis SS. Ecclesiae Patres haec verba *super hanc petram* exponunt. Ea ad ipsam Petri personam referunt, et etiam ad eius fidem confessam ac praedicatam, quam in ipsius Petri persona Ecclesiae fundamentum Christus constituit. Neque existimandum est has duas interpretationes sibi adversari, quin imo altera apertius primam exponit. Trium saeculorum serie constanter inter Patres expositio viguit, quae ad solam Petri personam illa verba refert, uti ex Tertulliano, Origene, S. Cypriano aliisque constat. Quarto autem saeculo Ariana haeresi orta, quae ipsam Christi divinitatem impugnare non erubuit, SS. Patres cum validissimum existimarent argumentum, ad catholicam firmandam doctrinam, ex illis verbis deduci: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, hanc confessionem laudibus extollentes, fidem Petri quam ipse confessus est, unitatis Ecclesiae fundamentum esse, seu Ecclesiam in personae Petri fide, et in ea quam ipse in illa aedificanda praedicavit, tamquam in fundamenti petra, fuisse constitutam, contra quam portae inferi non essent praevalliturae, declararunt. Unde S. Gregorius Nazianzenus (Orat. de moderat. serm. in disput.) ait: « Vide quemadmodum ex Christi discipulis magnis utique omnibus et excelsis, atque electione dignis, hic Petrus petra « vocatur, atque Ecclesiae fundamenta fidei suae credita habet ». Ad rem faciunt haec S. Augustini verba (in Psal. 54, num. 22): « Ex haereticis asserta est catholica, et verbis qui male sentiunt,

« probati sunt qui bene sentiunt. Multa enim latebant in Scripturis, « et cum praecisi essent haeretici, quaestionibus agitaverunt Eccle- « siam Dei. Aperta sunt quae latebant, et intellecta est voluntas « Dei. Multi qui optime possent Scripturas dignoscere et pertra- « ctare, latebant in populo Dei, nec asserebant solutionem quaestio- « num difficilium cum calumniator nullus instaret. Numquid enim « perfecte de Trinitate tractatum est, antequam oblatrarent Aria- « ni? ecc. » Et (Lib. de dono perseverantiae, num. 53) dicit, Pelagianae haereseos ortum occasionem praebuisse, ut Scripturarum quaedam loca *copiosius et enucleatius explicata, ac defensa fuerint, quam si nulla talis necessitas coegisset.*

Quantum autem hae duae Evangelici textus expositiones inter se cohaereant facile quisque intelliget, si haec bene perpendat. Ad unitatem constituendam ac conservandam Christus Petri personam, eiusque in Primatu successores tamquam centrum posuit, ut omnes fideles unitate fidei ac communionis simul coniungerentur; at quoniam unitas nedum in communione omnium fidelium, sed praesertim in unitate fidei, quae communione potior est, consistit, necessarium omnino erat ut non in mera Petri persona, sed etiam in fide quam praedicavit, et Ecclesiastici aedificii fundamentum poneretur et unitatis centrum constitueretur. Etenim si tantum in persona Petri, et non etiam in soliditate eius fidei, aedificii fundamentum positum fuisset, deficiente Petri fide, Ecclesiae unitas non servaretur, et iuxta professionis fidei varietatem plures quoque efformarentur Ecclesiae. Si ergo Christus voluit, unam esse Ecclesiam, unitate fidei et communionis, si ad unitatem hanc perpetuo servandam in ratione fundamenti, ac centri Petri personam posuit, eius quoque solidissimam fidem, quam professus est ac praedicavit, uti fundamentum ponere debuit; aliter sibi propositum finem in constituenda Ecclesia assequutus non fuisset. Quapropter cum et Petri persona, et fides ab eo praedicata sit Ecclesiae fundamentum, illam ipsam petrae soliditatem, qua persona Petri gaudet, eamdem eius fidei esse tribuendam patet, ne, hac deficiente, totum corruat aedificium. Utraque ergo horum Christi verborum expositio est eius intentioni in condenda Ecclesia optime consentanea, et una ad alteram clarius ex-

ponendam inservit. Patres itaque priorum saeculorum, qui ea verba ad Petri personam applicuerunt, non solum secundam expositionem non excludunt, sed implicite supponunt; agnoscentes enim Petri personam esse immobilem fundamentalem petram totius Ecclesiae aedificii, iam implicite eius fidem quoque in eadem fundamenti ratione agnoscere debent, cum eadem fides sit unitatis fundamentum totius aedificii. Illi autem qui Petri fidem petram esse in fundamento Ecclesiae a Christo positam tradunt, Petri personam non excludunt, sed solum qua ratione Petrus petra et fundamentum Ecclesiae intelligendus sit, apertius docent; hinc plures eorum sunt qui utramque expositionem tradunt, uti videre est apud S. Augustinum.

Hisce itaque suppositis, tria ex constanti SS. Patrum traditione nobis pronum erit ostendere. 1. Christum Dominum non solum fidei personam, sed etiam fidem quam Apostolus confessus est, et quam in aedificanda Ecclesia praedicavit, uti Ecclesiae fundamentum posuisse; 2. eidem fidei absolutissimam soliditatem, ac firmitatem promisisse; 3. hoc in rebus fidei morumque inerrantiae privilegium non personae tantum Petri, sed eidem ratione Primatus, in suos quoque successores transmittendum, fuisse tributum.

Ac primo S. Hilarius his verbis Petri confessionem extollit (Lib. 6 de Trinitat. n. 36 et 37): « *Super hanc igitur confessionis petram Ecclesiae aedificatio est... Haec fides Ecclesiae fundamentum est.* » Et (Lib. I, num. 28): « *Felix fidei petra Petri ore confessa.* » S. Gregorius Nyssenus (cap. ult. de Trinitate) dicit: « Ut petra vitae Christus in Scripturis praedicatur; Petra vero fidei « tamquam fundamentum, quia ipse Dominus ait ad Principem Apo« stolorum: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Eccle« siam meam*, super confessionem videlicet Christi, quia dixerat: *Tu « es Christus filius Dei vivi.* Haec fuit quidem confessio Christi, sed « edita a Petro ». S. Ambrosius prae oculis habens evangelica verba: « Tu es Petrus... super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, etc. », docet, Ecclesiae fundamentum cum iure primatus ad unitatem servandam a Christo positum, non ipsam tantum Petri carnem esse, sed veram fidem a Petro professam, et praedicatam (de Incarnatione, c. 5. num. 34): « *Fides ergo est Ecclesiae fun-*

damentum, non enim de carne Petri, sed de fide dictum est, quia portae mortis ei non praevalebunt ». Ambrosii auctoritati addimus duos antiquos auctores, quorum opera illi tributa olim fuerant (in append. Ambros.). Auctor Comment. in Epistolas Pauli (in cap. 2 ad Ephes. v. 20): « *Dixit Dominus ad Petrum: super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, hoc est in hac catholicae fidei confessione statuam fideles ad vitam* ». Et Auctor sermonis in Natali Apostolorum Petri et Pauli, Ambrosio, vel Augustino ab aliis tributus, *in Ecclesia fidei fundamenta continere* S. Petrum tradit. S. Epiphanius (Haeresi 59, num. 7): « Princeps Apostolorum Pe« trus... qui quidem solidae petrae instar nobis extitit, cui veluti « fundamento Domini fides innititur; supra quam Ecclesia modis « omnibus aedificata est. In primis quidem quod Christum Dei vivi « filium esse confessus est, idque vicissim audiit: Super hanc soli« dae fidei petram aedificabo Ecclesiam meam ». Cyrillus Alexandrinus (Lib. 4 de Trinitate) Matthaei locum: *Tu es Petrus et super hanc petram,* exponens, dicit: « *Petram, opinor, nihil aliud quam inconcussam et firmissimam discipuli fidem vocavit, in qua Ecclesia ita fundata et firmata esset, ut non laberetur, et esset inexpugnabilis inferorum portis* ». S. Ioannes Chrysostomus (Homil. 34, alias 55, in Matth. num. 2): « *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, id est super fidei confessionem.* Et (homil. 82, alias 83, in Matth.): « *Super confessionem eius* (Petri) *Ecclesiam ita fundavit, et munivit* ». Iterum (in cap. I Epist. ad Galatas): « *Itaque cum Petro dixisset: Beatus es Simon Barjona, promisissetque futurum ut Ecclesiae fundamenta super illius confessionem iaceret* ». Homilia autem de debitore decem millium talentorum, Petrum dicit, *firmamentum fidei, confessionis fundamentum.* Auctor Serm. I in Pentecosten inter opera Chrysostomi ait: « *Super hanc petram. Non dixit super Petrum; neque enim super hominem, sed super fidem eius* (Petri) *aedificavit* »: ubi rationem exponit fundamenti in persona Petri positi, quae fides eius fuit, seu fides aedificata, et cuius gratia *fidei petra et rectae fidei fundamentum* Petrus appellatur ab Auctore sermonis 7, qui inter opera Chrysostomi legitur;

quia propter verae fidei praedicationem meruit ipse Ecclesiae Primatum.

S. Leo (Serm. 62, alias 60, cap. 2) dicit, ex divina revelatione S. Petrum illam confessionem: *Tu es Christus filii Dei vivi*, edidisse, *ut ad regimen totius Ecclesiae praeparatus primum disceret quod diceret, et pro soliditate fidei, quam erat praedicaturus audiret:* Tu es Petrus, ecc. Idem (Serm. 51, alias 91, c. 1) de huius fidei confessione disserens ait: « *Tantum in hac fidei sublimitate complacuit, ut beatitudinis felicitate donatus, sacram inviolabilis petrae acciperet firmitatem, super quam fundata Ecclesia portis inferi et mortis legibus praevaleret* ». S. Eucherius, Episcopus Lugdunensis, vel antiquus auctor Homiliae in natali S. Petri, scribit: « *Videamus itaque quid sit: Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Super hanc petram quam tu modo docuisti dicens, Tu es Christus filius Dei vivi, super hanc petram, et super hanc fidem aedificabo Ecclesiam meam* ». Distinguit itaque petram a fide, seu Petri personam, a fide ab eodem confessa, ac praedicata, utramque aedificandae Ecclesiae fundamentum esse fatetur. Iuvenalis, Episcopus Hierosolymitanus (Synodica Epistola ad Presbyteros et Archimandritas Palestinae) scribit: « *Cum summus, et primus Apostolorum Petrus dixisset, Tu es Filius Dei vivi, Dominus intulit: Beatus es, etc. Et ego dico tibi tu es Petrus et super hanc petram... Super hanc confessionem roborata est Ecclesia Dei* ». Theodoretus (Epist. 77 ad Eulalium Persicae Armeniae Episcopum) dicit, Christum Dominum confessionem a Petro editam uti Ecclesiae fundamentum defixisse: « *Dominus Noster Apostolorum principem, cuius confessionem veluti basim quamdam et fundamentum Ecclesiae defixerat* ». Et (Epist. 177 ad Ioannem Oeconomum) recitata Petri confessione: *Tu es Christus*, etc., haec addit: « *Audiamus et Christum Dominum confessionem hanc confirmantem: Super hanc enim petram, inquit, aedificabo Ecclesiam meam* ». S. Gregorius (Lib. 4, Epist. 38 ad Theodolindam Reginam) ait: « *Dignum est, ut de Ecclesia B. Petri Apostolorum Principis nullum ulterius scrupulum habeatis, sed in vera fide persistite et vitam vestram in petram Ecclesiae, hoc est in confessione B. Petri Apostolorum principis, so-*

lidate ». Plura alia SS. Patrum sive Latinorum, sive Graecorum loca in medium possemus afferre in quibus eadem huius Evangelici textus expositio traditur; solum ut brevitati consulamus, addimus Hadriani I. Epistolam lectam, et summa cordis reverentia probatam in actione 2 Nicaenae secundae Synodi, in qua de Petro scribit Pontifex: « *Iste tum praecelso praelatus honore, promeruit confiteri fidem, supra quam fundatur Ecclesia* ». Et idem Pontifex in alia Epistola ad Episcopos Hispaniae Concilio Francofordiensi praefixa inquit: « *Super hanc petram quam confessus es, et a qua vocabuli sortitus es dignitatem, super hanc soliditatem fidei aedificabo Ecclesiam meam* ». Haec autem verborum Christi interpretatio communior in Ecclesia erat tempore Ionae Aurelianensis, prout ipse testatur, Lib. 3, de cultu imaginum, ubi dicit: « Multi namque, « et pene omnes petram, supra quam aedificatur Ecclesia, fidem « intelligunt B. Petri, quae communis est sanctae totius Ecclesiae ».

Patres itaque sive Graeci, sive Latini in illis evangelicis verbis agnoscunt, Christum Petro promisisse, super fidem quam confessus fuerat, et quam erat praedicaturus, tanquam super fundamentum Ecclesiam esse aedificaturum; est autem proprium et essentiale fundamento cuiuscumque aedificii, quod sit perpetuo duraturum, ut omnimodam ac perpetuam soliditatem obtineat, aliter aedificii perpetuitati bene consultum non esset, quia corruente fundamento, et ipsum aedificium necessario corrueret. Cum autem ex Christi institutione Ecclesia sit usque ad mundi finem duratura, et iuxta Patres fides a Petro confessa et praedicata sit eius fundamentum a Christo positum, eadem Ecclesiae ipsius stabilitas erat illi tribuenda; et reapse perpetuam illam soliditatem, quam Ecclesiae dedit, etiam fidei a Petro praedicatae his verbis promisit Salvator noster: « *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam* ». Hinc communiter Patres haec verba aeque ad Ecclesiam et ad eius fundamentum, ad fidem scilicet a Petro confessam et praedicatam referunt. Audiatur Origenes (in Cap. 16 Matth. t. 2), qui utrumque verum esse dicit: « *Nec enim adversus petram, super quam Christus Ecclesiam aedificat, nec adversus Ecclesiam portae inferi praevalebunt* »: quia certissime adversus Ecclesiam ipsam portae inferi praevalerent, si

adversus eam fidem praevaliturae essent, quae totius Ecclesiae aedificii fundamentum constituit.

S. Hilarius (Lib. 6 de Trinitate, c. 37) ex eo quod ex Christi promisso non sint portae inferi adversus Petri fidem praevaliturae, infert fore ut neque adversus Ecclesiam praevaleant: « *Haec fides*, ait, *Ecclesiae fundamentum est. Per hanc fidem infirmae adversus eam sunt portae inferorum.* » Et S. Ambrosius (de Incarnatione, c. 5, num. 34) ideo Ecclesiam adversus haereses continuo ac perpetuo praevaliturām esse dicit, quia Petri fidei Ecclesiae fundamento dictum est a Christo, portae inferi non esse adversus eam praevalituras: « *Non enim*, ait, *de carne Petri, sed de fide dictum est, quia portae mortis non praevalebunt* ». Idipsum docet Cyrillus Alexandrinus in loco superius citato.

S. Leo (Epist. 4 ad Episcopos Gallicanos Provinciae Viennensis cap. 1) ita de S. Petro scribit: « *Hunc in consortium individuae unitatis assumptum, id quod ipse (Christus) erat, voluit nominari dicendo: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et aeterni templi aedificatio mirabili munere gratiae Dei in Petri soliditate consisteret, hac Ecclesiam suam firmitate corroborans, ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec portae contra illam inferi praevalerent* ». Iuxta mentem huius S. Doctoris primario soliditati Petri fidei providit Christum, ne unquam deficeret, atque ita consequenter nunquam portas inferi adversus Ecclesiam praevalentibus eiusdem stabilitati consuluit; quemadmodum ad aedificii soliditatem, illa quae propria fundamenti est, praeponitur. Et (Serm 83, c. 2) evangelica Christi verba exponens dicit: « *Super hanc, inquit, Christus fortitudinem aeternum extruam templum, et Ecclesiae meae coelo inserenda sublimitas in huius fidei firmitate consurget. Hanc confessionem inferi portae non tenebunt.* »

Hanc autem soliditatem, quam Christus ad ipsius Ecclesiae tuendam securitatem, fidei a Petro confessae et praedicatae tribuit, eius quoque in Primatu successoribus Romanis Pontificibus dedit. Etenim quemadmodum ad perpetuam Ecclesiae unitatem servandam omnia Primatus iura Petro collata, ad eius quoque successores

erant transmittenda, ita quoque eamdem illius fidei soliditatem, quae immotum, et inconcussum est Ecclesiae fundamentum, iis indivulseque Apostolicae Sedi erat tribuenda, ne eorum deficiente fide, ipsa Ecclesia corrueret. Quapropter SS. Patres verba Christi: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam*, ad Ecclesiam et ad fidem Petri referentes non fidei solius Petri, sed et fidei quoque in Primatu successorum a Christo fuisse dicta, constanti traditione nos docent. Audiatur S. Augustinus qui (*Psalm. contr. partem Donati*) Romanorum Pontificum recensita serie, ostendens Christi promissiones non ad Petrum dumtaxat sed ad eius successores pertinere, de his ait: *Ipsa est petra quam non vincunt superbae inferorum portae.*

S. Leo (Serm. 3, alias 2, c. 2): « *Soliditas*, inquit, *illius fidei quae in Apostolorum Principe est laudata, perpetua est, et sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit* »; et Christi verbis: *Super hanc petram*, etc., recitatis, concludit: « *Manet ergo dispositio veritatis, et Beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans, suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit.* » Item (Serm. 5, alias 4, c. 4): « *Soliditas illa quam de petra Christo, etiam ipse* (*Petrus*) *petra factus accepit, in suos quoque transfudit haeredes.* » Laudata itaque Christi verba ad Petri quoque successores refert hic S. Doctor, quia permanebit in iis eadem Petri fides, quae tamquam fundamentalis petra a Christo laudata, et posita est; Petrus in successoribus suis vivit ac loquitur, et perpetua fidei soliditate Ecclesiam sustentat, eamque fidem suis haeredibus transfudit, ut tamdiu per eos Ecclesiam sustineat, quamdiu in eius sede vivet ipsius potestas, et excellet auctoritas.

S. Simplicius (Epist. 4 ad Leonem Augustum, tom. 5 Concil. edit. Coleti Venet.) scribit: « *Perstat in successoribus suis haec, et eadem apostolicae normae doctrina... cui Dominus... se usque ad finem saeculi minime defuturum, cui portas inferi nunquam praevalituras esse promisit* ». Id ipsum tradit S. Gelasius (Epist. 14 ad Acacium) affirmans S. Petrum, qui Romae requiescit, *Romanae Sedi* seu successoribus suis illud praestitisse, ut a portis inferi

nunquam pro Domini promissione vincatur. Non soli Petro sed eius successoribus quoque promisisso Christum perpetuam soliditatem probant ea, quae superius retulimus a S. Gregorio ad Reginam Theodolindam scripta; ibi enim haec praemiserat: « *Dignum est, ut de Ecclesia B. Petri Apostolorum Principis nullum ulterius scrupulum dubietatis habeatis* »; statimque addidit: « *Sed in vera fide persistite, et vitam vestram in petra Ecclesiae, hoc est in confessione Beati Petri Apostolorum principis solidate* ». Petra illa Ecclesiae iuxta S. Gregorium, super quam vera fides subsistit, ac solidatur, Beati Principis sedes est, seu fides, ac doctrina quam ipsa profitetur.

Luculentissima sunt verba Sergii, Cypriensis Metropolitae, in Epistola ad Theodorum Papam, quibus Romanum Pontificem Petrum vocat, fixum ac immobile fundamentum, ac columnam fidei, eumque iisdem titulis donat, quos Apostolici Legati in Oecumenicis Conciliis Ephesino, et Chalcedonensi ipsi Petro tribuerunt; ita enim scribit: « *Firmamentum a Deo fixum et immobile, ac tituli seu columnae fidei formam lucidissimam referentem, vestram Apostolicam Sedem constituit, o Sacer Vertex, Christus Deus noster. Tu es enim sicut divinum veraciter pronuntiat Verbum, Petrus, et super fundamentum tuum Ecclesiae columnae confirmatae sunt* ». Privilegia a Christo Petro concessa non ipsi personaliter sed eius successoribus fuisse communia pro certo tum temporis tenebant Cyprienses Episcopi.

S. Theodorus Studita (Epist. 63, Lib 2. ad Neucratium) non soli Petro sed eius quoque successoribus, iis evangelicis verbis in rebus fidei inerrantiam tribuisse Christum Dominum apertissime docet. Etenim ibi tradit, in controversiis fidei inter catholicos ortis apud S. Sedem Apostolicam certitudinem esse inquirendam, « *in qua Christus claves posuit, adversus quam* (fidem ab eo depositam) *non praevaluerunt hactenus, neque praevalebunt usque ad consummationem portae inferi, ora scilicet haereticorum, sicut pollicitus est ille qui non mentitur* ». Quapropter scribens ad Leonem Sacellarium (Epist. 129, Lib. 2) de quaestione cultus Sacrarum imaginum, dicit, si existimaret Imperator Patriarcham Nice-

phorum a vera fide dissentire, Apostolicam Sedem esse consulendam, eamque sententiam certitudinem fidei tenendam esse, quae ab eadem Apostolica Sede definiretur: « *Quod si hoc minime probet Imperator, deflexitque, ut ipse ait, a veritate Nicephorus Antistes, mittenda est ad Romanum ex utraque parte Legatio, et inde fidei accipienda certitudo* ».

At, caeteris omissis, ut facilius demonstretur quanta nedum primis sed etiam posterioribus Ecclesiae saeculis, tum Occidentalium tum Orientalium Ecclesiarum consensione agnitum fuerit inerrantiae in rebus fidei privilegium iis Evangelicis verbis a Christo Petro promissum, non solius Petri personae, sed eius quoque successoribus datum ac transfusum fuisse, referendam esse ducimus fidei professionis formulam, post Acacianum schisma a Summo Pontifice Hormisda propositam, summa universalis Ecclesiae reverentia, ac obsequio receptam, in qua hoc divinum privilegium, ratione Primatus Summis Pontificibus Petri successoribus attributum apertis verbis declaratur. Plures totius Orientis in schisma pertraxerat Acacius, qui ob favorem, et adhaesionem iis prestitam qui Eutychianis addicti erant, a communione fidelium fuerat seiunctus; post eius mortem fere omnes, qui Acacianum schisma fuerant sequuti, enixis precibus a Summo Pontifice unionem cum Romana Ecclesia postularunt, eamque, expuncto prius a dypticis Acacii nomine, hac conditione iis concessit Hormisda, ut in antecessum sequentem fidei professionis formulam subscriberent: « *Prima salus est rectae fidei regulam custodire, et a Patrum traditione nullatenus deviare, quia non potest Domini Nostri Iesu Christi praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Haec quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper servata religio. De hac igitur fide non cadere cupientes, et Patrum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes haereses, etc.... Quapropter sequentes in omnibus Sedem Apostolicam, et praedicamus omnia quae ab ipsa decreta sunt, et propterea spero in una communione vobiscum, quam Apostolica Sedes praedicat, me futurum, in qua est integra religionis, et perfecta*

soliditas: promittentes in sequenti tempore sequestratos a communione Ecclesiae Catholicae, id est in omnibus non consentientes Sedi Apostolicae eorum nomina inter sancta non recitanda esse mysteria... Huic vero professioni subscripsi mea manu, et direxi per scripta tibi Hormisdae Sancto et Beatissimo fratri et Papae magnae Romae » (Tom. 5 Concil., Col. 662, in Epistola Ioannis Constantinopolitani ad Hormisdam).

Hac fidei formula ab omnibus Orientalibus Episcopis subscripta, ab universali Ecclesia recepta, sequentibus temporibus usi sunt Episcopi, additis tantum haeresibus, et haereticis suis temporibus ortis; eaque usi quoque sunt Patres in oecumenico Concilio VIII sub Adriano II convocato. Manifeste hinc apparet, perpetuum SS. Patrum, ac Orientalis et Occidentalis Ecclesiae fuisse consensum, eamdem in rebus fidei infallibilitatem a Christo Domino in relatis evangelicis verbis Petro promissam, ac traditam, non fuisse illius personale privilegium, sed ad Romanos Pontifices in Primatu successores esse transfusam.

Fatendum tamen est, unum extitisse celeberrimum secundi saeculi scriptorem, Tertullianum scilicet, qui (Libro de Pudicitia, Cap. 21) verba Christi: *Tu es Petrus*, etc., ad solam Petri personam referenda esse apertissime docuit; scripsit enim, personalia Petri privilegia fuisse, quod ille immobile sit Ecclesiae fundamentum, super quo Ecclesia aedificata est, et quod in dirimendis fidei controversiis irretractabilem auctoritatem obtinuerit. Haec sunt Tertulliani verba: « *De qua nunc sententia quaero, unde hoc ius Ecclesiae usurpes? Si quia dixerit Petro Dominus: Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, etc., idcirco praesumis et ad te derivasse solvendi, et alligandi potestatem, id est ad omnem Ecclesiam Petri propinquam qualis es evertens atque commutans manifestam Domini intentionem personaliter hoc Petro conferentem? Super te, inquit, aedificabo Ecclesiam meam: Et dabo tibi claves, non Ecclesiae: Et quaecumque solveris, non quae solverint vel alligaverint. Sic enim exitus docet. In ipso Ecclesia extructa est, idest per ipsum. Ipse clavem imbuit... Sed et in illa disceptatione custodiendae nec ne legis, primus omnium Petrus Spiritu instinctus, et*

de nationum vocatione praefatus: Et nunc, inquit, cur tentastis Dominum, etc. Haec sententia, et solvit quae omissa sunt legis, et alligavit quae reservata sunt ». At licet huius primaevao antiquitatis Scriptoris, sit in pluribus maxima auctoritas, nullius tamen hoc loci momenti est; etenim hunc librum edidit quando catholica Ecclesia deserta ad haeretica Montani castra defecerat: nil mirum igitur si evangelica verba, non catholico sensu, ab omnibus SS. Patribus unanimi consensione retento, exposuerit, sed perverso, ac haereticis favento commentus sit. Quapropter ex hoc ipso Tertulliani testimonio deducimus, non catholicorum, sed haereticorum esse, verba Christi, Petro eiusquo successoribus privilegia infallibilitatis conferentia, ad solam Petri personam velle coarctare.

Probatum igitur manet communi Sanctorum Patrum expositione, et traditione atque Occidentalis ac Orientalis Ecclesiae suffragio fidem a Petro confessam ac in aedificanda Ecclesia ab eo praedicatam, fundamentum esse totius Ecclesiae aedificii, a Christo Domino positum; eidemque fidei ad Ecclesiae unitatem tuendam perpetuam soliditatem fuisse promissam; atque hoc in rebus fidei morumque infallibilitatis privilegium non soli Petro, sed eius in Primatu successoribus Romanis Pontificibus ab eodem Christo Domino iis evangelii verbis fuisse collatum. Quapropter ex hoc ipso uno testimonio concludi potest fide divina profitendum esse, in dogmaticis doctrinis tradendis Romanos Pontifices Divi Petri successores inerrantiae privilegio a Christo fuisse insignitos.

§. 2.

De Lucae Cap. XXII, v. 32.

Alterum SS. Scripturarum testimonium quo Romanos Pontifices privilegio infallibilitatis in doctrina fidei tradenda gaudere, revelatum esse ostenditur, sunt verba Christi a S. Luca, Cap. 22, v. 32, relata. Praeviderat Christus Dominus Satanam post eius ascensum in Coelum, ad discindendam unitatem, turbas ac dissensiones in Ecclesia esse excitaturum; hinc Patrem suum pro Petro rogavit,

ne unquam illius fides deficeret: » *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit, ut cribraret vos sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* » Omnium periculum ac tentationem circa fidem perspiciens Christus, ut idoneum praeberet remedium, pro uno Petro Patrem suum rogat, uti ex verbis ad solum Petrum repentina mutatione conversis: *Ego pro te rogavi, Et tu aliquando conversus*, liquido apparet. Duo privilegia hac efficaci oratione pro Petro Christus a Patre obtinuit: alterum ut a Daemone tentatus firmissime usque ad finem perseveraret in fide, sicut loquitur Augustinus (Lib. de corrept. et gratia, cap. 8): « *Quando rogavit ut non deficeret fides eius, rogavit, ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem* »; alterum, ut fratres in fide confirmaret; quorum primum partim fuit personale, sed partim quoque una cum secundo ad universam referebatur Ecclesiam, in Petri successores Romanos Pontifices transferendum, ut hi in dogmaticis proponendis doctrinis infallibiles essent.

Inter Scriptores qui novissimis hisce saeculis hoc infallibilitatis privilegio Romanos Pontifices exuere contendunt, et quorum huius sacri textus interpretationes refert Bossuetus, aliqui dicunt Christum Patrem suum orasse pro singulari Petri persona, ne ipsius personalis fides deficeret; ideoque ad Petri successores non erat haec infallibilitas transmittenda. Alii dicunt Christum pro Petro orasse uti universalis Ecclesiae personam gerente, ac proinde ex Christi promissione numquam universalis Ecclesiae fidem defecturam fore. At nos constanti SS. Patrum et universalis Ecclesiae consensu ostendemus, non ad singularem Petri personam Christi promissiones esse referendas, sed Petrum *primo* firmitatem in fide a Domino obtinuisse, ceteris Apostolis per eum conferendam, et *secundo* auctoritatem omnes alios fideles in fide confirmandi; haec autem privilegia ob iurisdictionis Primatum illi concessa, eius successoribus fuisse a Christo promissa ac demandata. In Patrum testimoniis referendis facile quisque animadvertet, quam inscite Launoius affirmet primum Agathonem docuisse Christi promissionem ad Romanam Ecclesiam, per Petrum fundatam, esse referendam;

et inscitius quoque, Leonem IX primum fuisse, qui pro Sede Apostolica, sive pro Petri Sede orationem Christi esse intelligendam tradiderit. Ea autem Patrum testimonia quae explicite Christi verba iuxta nostram thesim exponunt, hic esse recensenda arbitramur; alios vero qui in asserenda Romanorum Pontificum infallibilitate, implicite in evangelico textu eumdem sensum agnoscunt, deinde referemus.

S. Leo I, (Sermone 4, alias 3) in die anniversario assumptionis suae, ita verba Christi exponit: « Commune erat omnibus Apostolis « periculum de tentatione formidinis, et Divinae protectionis auxi- « lio pariter indigebant, quia diabolus omnes exagitare, omnes « cupiebat elidere, et tamen specialis a Domino Petri cura susci- « pitur, et pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum « status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In « Petro ergo omnium fortitudo munitur, et divinae gratiae ita or- « dinatur auxilium, ut firmitas, quae per Christum Petro tribui- « tur, per Petrum Apostolis conferatur. Nam et post resurrectio- « nem suam Dominus Beato Petro Apostolo post regni claves, « ad trinam aeterni amoris professionem, mystica insinuatione ter « dixit: *Pasce oves meas*, quod et nunc procul dubio facit et man- « datum Domini prius Pastor exequitur, confirmans nos exhor- « tationibus, et pro nobis orare non cessans, ut nulla tentatio- « ne superemur. » S. Doctor ea ratione scribit Christum pro fide Petri proprie supplicasse quia Primatum a Christo obtinuerat, ut vox *Principis,* qua S. Leo utitur, indicat; quae ratio cum sit omnibus aliis Petri successoribus communis, pro fide eorum omnium Christum orasse, ac eumdem orationis effectum in eos omnes transiisse dicendum est; unde idem S. Doctor loco superius laudato dicit, quod soliditas illius fidei quae in Apostolorum Principe laudata est, perpetua sit, et sicut permanet, quod in Christo Petrus credit, ita permaneat, quod in Petro Christus instituit, et quod adhuc in Petri sede eius vivat potestas, et excellat auctoritas. Quapropter haec divina dispositio manet, ut Petrus in suis successoribus omnium fortitudo sit, et firmitas quae per Christum Petro tributa est, per Petrum omnibus in sua Sede viventibus conferatur.

Verba S. Leonis rationes continent, quibus clarior verborum Christi sensus ostenditur. Loquitur prius Christus ad omnes Apostolos, ac eos tentandos esse praedicit; postea sermone ad solum Petrum converso ait: *Ego rogavi pro te*, aliquid igitur speciale etiam pro illo rogavit, non personalem perseverantiam, quam pro omnibus Apostolis petiit, quando oravit dicens: *Pater Sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi* (Ioan. cap. 17), sed eam quae Ecclesiae Capitis propria esset, ac successoribus transmittenda. Et sane Christus in singulari illo modo vocandi Petrum ut attenderet: *Simon*, *Simon* (sic enim habent Graeca), et orandi specialiter pro illo, aliquam specialem praerogativam significare voluit. Si autem haec duo Scripturarum testimonii Lucae, et Ioannis simul conferantur, apparet in utroque pro Petro, et omnibus Apostolis et universa Ecclesia praesente, et futura Christum Dominum orasse, diverso tamen modo: etenim apud Ioannem pro omnibus Apostolis, ex quibus unus, et praecipuus Petrus erat, prius expresse oravit, et in illis Ecclesia virtute continebatur, propter quam offerebatur oratio, quam postea consummavit dicens: « *Non pro eis tantum rogo, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me ut omnes unum sint* », unitate quidem fidei ac charitatis. Apud Lucam vero Christus directe et expresse pro Petro tantum oravit, indirecte vero, et consecutione quadam pro aliis quoque Apostolis Patrem rogavit, ut ex sequentibus hisce verbis liquet: « *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* », et quemadmodum S. Leo dicit « *ut firmitas, quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur* », atque toti Ecclesiae seu omnibus fidelibus, qui sub fratrum nomine comprehenduntur, uti optime observat Theophylactus (in Cap. 22 Luc.): « Tu vero conversus confirma fratres tuos, plane huius intellectus est, quia te habeo principem discipulorum postquam negato me fleveris et ad poenitentiam veneris, confirma caeteros... hoc enim te decet, qui post me Petra es »; et Eutymius Zigabenus (in Luc. 22): « Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Conversus post negationem, videlicet post fletum amarum hoc est in pristinum locum denuo restitutus. Fratres autem dicit reliquos Apostolos, aut illos qui per eum erant credituri. »

Hisce postremis Christi verbis: *Et tu aliquando conversus, etc.* prioris promissionis: *Ut non deficiat fides tua*, apertius ratio declaratur. Quemadmodum apud Ioannem iussus est Petrus oves Christi pascere, ita hic fratres confirmare iubetur; iidem enim sunt oves, et fratres, ibi propter mansuetudinem et obedientiam quae est subditorum, oves vocantur, hic vero fratres, quia ecclesiastici Pastoris officium est non dominari, sed imbecilliores tamquam fratres confirmare. Non autem Petri personae, sed Petro, pro munere eidem collato et in suis successoribus duraturo dixit Christus: *Pasce oves meas;* atque ita quoque quando dixit: *Confirma fratres tuos*, praecipua quaedam pars illius muneris praeindicatur, quae est confirmare, et in vera fide fratres et Ecclesiam sustentare: et licet aliorum Pastorum officium quoque sit oves sibi creditas docere, id tamen ob supremam auctoritatem et ordinariam in universam Ecclesiam potestatem, in discernendo verum a falso, in haereses damnando, et catholicam doctrinam definiendo, illius proprium est, cui dictum fuit: *Confirma fratres tuos*. Quod munus, cum ad unitatem verae fidei tuendam ac servandam sit in Ecclesia necessarium, ita Petro ratione Primatus perpetuo duraturi fuit demandatum; ergo et prior promissio, quod eius fide non sit unquam defectura, non personae, sed eius muneri successoribus transmittendo est tribuenda. Cum itaque pro munere perpetuo duraturo in fide confirmandi fratres, ac omnes fideles, qui erant in Christum credituri, hoc requirebatur infallibilitatis privilegium; idem pro Petro eiusque successoribus a Patre impetravit Christus; hocque significavit S. Leo illis verbis: « *Pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit* ». Et clarius Theophilactus, postquam dixit: « Quia te habeo ut Principem di« scipulorum confirma ceteros », addit: « Intellexerit autem quis « non solum de Apostolis dictum, quod confirmati fuerint a Petro, « sed de omnibus qui usque ad consummationem saeculi futuri « sunt fideles ». Quapropter pro eadem verborum Christi interpretatione ii omnes Patres laudandi sunt qui in postremis verbis: *Et ut aliquando conversus*, etc., Apostolicae Sedis primatnm, eiusque summam iu omnes fideles auctoritatem agnoscunt, quia si haec ad

Petri successores sunt referenda, necesso est, quemadmodum diximus, ut illa quoque quae praecedunt, referantur.

Ex hisco itaque colligitur, si haec Lucae verba cum aliis locis conferantur, in quibus Petri Primatus stabilitas, prout S. Leo verba: *Confirma fratres tuos*, cum illis: *Pasce oves meas*, comparavit, veritatem adductae interpretationis magis elucescere. Hinc cum Petrus, eiusque successores ratione Primatus munus a Christo obtinuerint in fidei doctrinam oves pascendi, ac auctoritatem omnes cogendi fideles ad eamdem fidem profitendam ab ipsis praedicatam; et cum teneatur Ecclesia eamdem retinere fidem quam Petri eiusque successores Pontifices ex cathedra docent, nisi infallibilitatis privilegium obtinuissent, totius Ecclesiae fides periclitari posset, contra Christi promissiones.

S. Gelasius (Epist. V ad Honorium, adv. Pelagian. haer.) ex eo probat totius Christi Ovilis curam sibi incumbere, quia Petro Christus dixit: *Et tu aliquando conversus*, etc.; ac ita agnoscit, non ad solam Petri personam, sed ad eius quoque successores ea fuisse dicta: « Licet inter varias, scribit, temporum difficultates continuis « occupationibus implicati vix respirare valeamus; pro Sedis tamen « Apostolicae moderamine totius Ovilis Dominici curam sine ces- « satione tractantes, quae Beato Petro Salvatoris ipsius nostri voce « delegatā est, *et tu conversus confirma fratres tuos*, et item *Petre « amas me? Pasce oves meas*, dissimulare non possumus nec debe- « mus, quae nostram sollicitudinem forma perstringat ».

Pelagius II Eliam Aquileiensem ac ceteros Istriae Episcopos temerarie a communione Ecclesiae Romanae ac ipsius Pontificis abhorrentes ob probatam trium Capitulorum damnationem, qua Chalcedonensis Concilii fidem convelli, ac violari iudicabant, ex eo perstringit quod eadem fides ob Christi promissionem apud Lucam datam immota, in successoribus Petri semper vigeat. « Nostis enim, « inquit, in Evangelio Dominum proclamantem: *Simon Simon*, etc. « *Satanas expetivit vos*, etc. Considerate, carissimi, quia veritas « mentiri non potuit, nec fides Petri in aeternum quassari poterit « vel mutari. Nam cum omnes Discipulos diabolus ad excribran- « dum poposcerit, pro solo Petro se Dominus rogasse testatur, et

« ab eo voluit ceteros confirmari : cui etiam pro maiori dilectione, « quam prae ceteris Domino exhibebat, pascendarum ovium soli- « citudo commissa est: cui et claves regni coelorum tradidit; et su- « per quem Ecclesiam suam aedificaturum esse promisit, nec por- « tae inferi adversus eam praevalere testatus est. »

S. Gregorius, in Epistolam ad S. Eulogium Patriarcham Alexandrinum, iisdem Christi verbis Lucae 22 cum aliis evangelicis verbis utitur, ut ostendat Apostolicae Sedi ratione primatus in universam Ecclesiam munus fuisse a Domino traditum, nedum regendi, sed et in vera fide omnes confirmandi fideles. « Quis enim, inquit « (Lib. VI Epist. 37, tom. VI Conciliorum), nescit Sanctam Eccle- « siam in Apostolorum principis soliditate firmatam; qui firmita- « tem mentis traxit in nomine, ut Petrus a petra vocaretur? Cui « veritatis voce dicitur: *Tibi dabo claves regni coelorum*. Cui rur- « sus dicitur: *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* « Iterumque: *Simon Ioannis amas me? pasce oves meas*. Itaque « cum multi sint Apostoli pro ipso tamen principatu sola Apostolo- « rum principis Sedes in auctoritate convaluit. » Quod si ex Gregorio verba posteriora Petro uti Ecclesiae principi dicta sunt a Domino, etiam priora sunt Petro principi, eiusque successoribus applicanda.

S. Vitalianus scribens ad Paulum, Archiepiscopum Cretensem, dicit: « Quae praecipimus tibi secundum Deum, et propter Domi- « num, tuaeque Synodo, stude illico peragere, ne cogamur non « misericorditer, sed secundum virtutem sacratissimorum Cano- « num conversari, scriptum namque est: *Dominus inquit Petro: ro- « gavi pro te, ut non deficeret fides tua: et tu aliquando conversus « confirma fratres tuos*. Et rursus: *Quodcumque ligaveris, Petre.* » Profecto non ita ad Cretensem Archiepiscopum eiusque Synodum minacibus etiam verbis, Christi promissionibus innixus scripsisset Pontifex Vitalianus, nisi omnibus persuasum iis temporibus esset, privilegium a Domino Petro tributum, fuisse quoque suis successoribus demandatum. His Christi verbis ad infallibilitatis in rebus fidei praerogativam sibi vindicandam utitur Lucius Papa in suis litteris ad Episcopos Galliae et Hispaniae circa finem, ubi suam Apo-

stolicam Sedem esse normam dicit Apostolicae fidei, et referens citata S. Lucae verba addit, iuxta divinam Christi promissionem, prout ab Auctoribus suis Apostolorum Principibus accepit, eam illibatam semper retinuisse. Similia habent Summus Pontifex Marcus, in Epistol. ad Athanasium (Tom. Epistolar. p. 1) et Felix I. (Epist. 3 ad Benignum) quorum, aliorumque quae referri possent, testimonia brevitatis gratia omittimus. Neque audiendus est qui ad infirmandam tantorum Summorum Pontificum auctoritatem, obiiciat, eos in propria causa loquutos fuisse; etenim fide dignissimi sunt, 1. quia multi eorum inter Sanctos adnumerantur, et plures sanguinem suum pro veritate catholicae fidei asserenda effuderunt, et ab Ecclesia ut martyres coluntur; 2. quia antiquissimi sunt, et quasi per continuam traditionem hanc fidei veritatem docuerunt; 3. quia etiam alii antiquissimi Patres, uti partim iam vidimus, et disertius ostendemus, in S. Petri successoribus hoc idem privilegium agnoverunt; 4. quia ut Episcopos et ipsos Patriarchas ad fidem Apostolicae Sedis retinendam facilius cogere possent, hoc infallibilitatis privilegium in promissionibus Christi apud Lucam contentum, in medium afferebant, quin aliquis fuerit, qui in dubium illud revocaverit, quod profecto evidentissimum argumentum est, in omnibus persuasionem hanc viguisse, revera illud a Christo Domino Divi Petri successoribus fuisse elargitum.

At ut paucioribus verbis ostendamus SS. Patres communi consensu hunc totum Evangelicum textum Romanis Pontificibus aptasse, atque ex eo collegisse eorum in rebus fidei et morum inerrantiam, satis sit locum afferre Agathonis Papae in Epistola ad Constantinum Pogonatum, quae cum a Patribus Sextae oecumenicae Synodi fuerit summa reverentia suscepta, et approbata, abunde demonstrat quis fuerit hac super re totius Ecclesiae Occidentalis et Orientalis consensus. « Haec est (inquit Pontifex) verae fidei regula quam « et in prosperis et in adversis vivaciter tenuit Apostolica Christi « Ecclesia, quae per Dei gratiam a tramite Apostolicae traditionis « numquam errasse probatur, nec haereticis pravitatibus unquam « depravata succubuit, quia dictum est Petro: « *Simon, Simon, ecce « Satanas*, etc. *Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides*

« *tua*, etc. Hic Dominus fidem Petri non defecturam promisit, et « confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifi- « ces meae exiguitatis praedecessores confidenter fecisso, semper « cunctis est agnitum ». Ideo iuxta Agathonem munus in fide confirmandi fratres constanter in universa Ecclesia Summi Pontifices exercuerunt, quia Petri fidem in ipsis defecturam non esse Dominus est pollicitus; quam divinam promissionem non ad solius Petri personam, vel ad eius tantum Sedem, sed ad eius in Primatu successores Romanos Pontifices in eadem cathedra sedentes referendam esse docet, et sicut Christi promissa deficere nequeunt, ita et Romanorum Pontificum ex cathedra definientium non posse fidem deficere.

ARTICULUS II.

Traditionis argumentum exponitur.

Argumento ex Saeris Scripturis accedit illud ex constanti traditione desumptum, quod ut maiori, qua possumus, perspicuitate exponamus, tum Patrum sivo Latinorum, sive Graecorum, aliorumque Scriptorum, tum Ecclesiasticae Historiae monumenta ab Apostolorum aevo per singula saecula distributa distinctis Articulis referemus, quae apertissime demonstrant hanc semper in Ecclesia viguisse doctrinam: in rebus fidei ac morum infallibilitatem ratione Primatus Petro a Christo promissam, ad Romanos quoque Pontifices Petri successores fuisse transfusam, ita quidem ut eorum iudicia in his controversiis dirimendis ob divina promissa prorsus irreformabilia sint.

S. Irenaeus Lugdunensis Episcopus, Graecus origine, ab ipsis Apostolorum discipulis, maxime a S. Polycarpo, institutus, Ecclesiae regimen a Christo per Apostolos constitutum ignorare quidem non poterat. Hic ad refellendos sui temporis haereticos praesertim Valentinianos, eos ad Apostolicarum Ecclesiarum, ac praecipue Ecclesiae Romanae traditionem revocat, ac ostendit a vera fide eos aberrare, quorum fides cum fide Romanae Ecclesiae non convenire

intelligitur. Primo itaque (lib. 3, cap. 3, advers. Haereses) dicit, haereticos traditione revincendos esse, eamque, *quae est ab Apostolis per successiones Presbyterorum* (id est Episcoporum uti ex sequentibus constat) in Ecclesiis custodiri... hanc traditionem Apostolorum per totum mundum manifestatam in omni Ecclesia patere iis, qui vera volint videre; ut autem qualis haec sit traditio, apertius dignoscatur, eos recolendos esse ait, *qui ab Apostolis instituti sint Episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his* (haereticis) *deliratur.* Et haec verba sunt bene animadvertenda, non enim ad populum, vel Clerum provocat Ecclesiarum Apostolicarum, ut dignoscatur quaenam fuerit doctrina fidei ab Apostolis tradita, sed ad earum Episcopos, quibus munus, et auctoritas docendi est a Christo tradita, et quibus suarum Ecclesiarum curam, ac regimen Apostoli committentes, uti Pastoribus ac magistris divinae sapientiae thesauros reliquerunt. At sicut, valde longum ac difficile esset, omnium harum Ecclesiarum traditionem inquirere, satis esse ait ad refellendos haereticos solius Romanae Ecclesiae ac Romani Pontificis doctrinam detegere. « Sed quoniam valde longum est... omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximae, et antiquissimae, et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae Ecclesiae eam quam habet ab Apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sibi placentia, vel vanam gloriam, vel per caecitatem, et malam sententiam, praeter quam oportet colligunt ». Postea vero hanc addit rationem: « Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique fideles, conservata est ea quae est ab Apostolis traditio ».

Tria ex hoc S. Irenaei testimonio eruuntur: 1. Saeculo Ecclesiae secundo hanc apud fideles communem sententiam invaluisse, ad discernendos et refellendos haereticos solam fidem, ac traditio-

nem Ecclesiae Romanae sufficere. 2. In hac Ecclesia per successionem continuam Summorum Pontificum, traditam doctrinam illibatam fuisse conservatam, 3. Omnes fideles, ne quis uti haereticus habeatur, teneri, huius Ecclesiae fidei sincero corde adhaerere. At si huius Ecclesiae, ac Summorum Pontificum fides deficere posset. quonam pacto per illius traditionem omnes refelli possent haeretici? Quanam ratione dicitur, aliarum Ecclesiarum, ac omnium fidelium fides, si vera sit, cum traditione ac fide Romanae Ecclesiae, necessarium esse, ut conveniat? Quomodo, iuxta S. Irenaeum, cogi possunt undique fideles ad unitatem fidei cum hac Ecclesia conservandam, nisi exploratum sit inter alias praerogativas Petro, et eius successoribus, fuisse eam quoque a Christo concessam, ut eorum fides nunquam esset defectura?

Tertullianus S. Irenaeo non sanctitate sed antiquitate suppar in Romana Sede infallibilem auctoritatem ad instruendas in rebus fidei universas Ecclesias agnovit. Ita enim (Lib. de Praescript. Cap. 21) scribit: « *Ista quam felix Ecclesia cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt... videamus quid didicerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit.* » Quae verba ut quam magni sint ponderis eluceat, iuverit animadvertere, quae in fine Actionis IV Concilii Oecumenici octavi referuntur. « *Mos est in Romana Ecclesia ab omni homine hospite libellum fidei exigendi, et ita permittitur hunc in S. Petrum intrare* ». Antequam itaque ad communionem admitterentur hospites, quaerebatur ab eis, num eorum fidei *tessera*, seu libellus cum Romanae Ecclesiae fide conveniret, atque unius, eiusdemque fidei professione emissa, in communionem recepti, illi in sacra Apostoli limina excipiebantur. Hanc antiquam consuetudinem spectans Tertullianus dicit: *Videamus quid* (Ecclesia Romana) *cum Africanis Ecclesiis contesserarit*, et significat observandum esse, num Ecclesia Romana, probata prius illarum Ecclesiarum convenientia cum propria verae et unicae fidei tessera, eas ad communionem admiserit. Quod si omnes aliae Apostolicae Ecclesiae, omnesque undique fideles ut eorum fides vera esse probetur, cum Ecclesiae Romanae fide, primatus iure, necessario convenire debent, hanc

indefectibilem prorsus esse Tertullianus existimavit. S. Cyprianus, qui martyrium an. 238 passus est (Epist. 42, et 45), Romanam Ecclesiam Catholicae Ecclesiae radicem et matricem appellat, Romanum Pontificem, ut vinculum Sacerdotalis collegii, et unitatis centrum veneratur; et (Epistola 55) impugnans Fortunatum, et Felicissimum, aliosque Africae schismaticos, qui cum mendaciorum suorum merce ad fallendum Pontificem legatos Romam transmiserunt, his verbis eos redarguit: « Navigare audent, et ad Pe-« tri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sa-« cerdotalis orta est, a schismaticis, et profanis litteras ferre; nec « cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo praedicante « laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum. » Agnoscit Cyprianus *perfidiam*, seu in fide errorem quod ad Romanos Pontifices, ratione primatus in universam Ecclesiam, non solum non habuisse, *sed nec ad eos habere posse accessum*. His quae ante exortam de haereticorum baptismate quaestionem Cyprianus tradidit, nil detrahunt ea quae in huius controversiae aestu scripsit; etenim non quae in erroris sui difensionem disputandi, ardore abreptus tradidit, sed quae ab huiusmodi praeiudiciis liber pro Romanae Sedis praerogativa docuit sunt perpendenda. Ceterum eruditi non desunt, qui tantum venialis culpae reum S. Martyrem faciunt. Idem Sanctus (Epist. 52): « Scripsisti, inquit, ut « exemplum earumdem litterarum ad Cornelium collegam nostrum « transmitterem, ut deposita omni sollicitudine, iam sciret, te se-« cum, hoc est cum Ecclesia catholica, communicare »; quo loci aperte sentit idem esse communicare Ecclesiae Romanae et Ecclesiae catholicae, ea solum quidem ratione, quia Ecclesia Romana nunquam a vera catholica fide deficere potest. Rursus (Epist. 76 ad Magnum): « Ecclesia, inquit, una est, quae una et intus, et « foris esse non potest ». Unde infert, « si apud Novatianum est, « apud Cornelium non fuit, si vero apud Cornelium fuit, qui Fa-« biano legitima ordinatione successit, Novatianus in Ecclesia non « est. » Hic quoque catholicam Ecclesiam unam cum Romana esse supponit; et alibi (Epist. 40 circa med.): « Una Ecclesia, et cathe-« dra una super Petrum Domini voce fundata... *Quisquis alibi « collegerit, spargit.* » Idem fere repetit Lib. de Unit. Eccl., ubi

inter multa alia dicit: « *Qui cathedram Petri super quam fun-« data est Ecclesia deserit, in Ecclesia se esse confidit?* » Ubi impossibilo esso existimat ad veram Christi Ecclesiam eum pertinero, qui non eam fidem retinet quam Petri cathedra tenet, et omnibus fidelibus credendam proponit, nequo ea uti haeretica dogmata respuit, quao ab eadem cathedra uti haeretica damnantur. Tandem (Epist. 55) ita loquitur: « Nec aliunde haereses obortae sunt, « aut nata sunt schismata, quam inde quod Sacerdoti Dei non ob-« temperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, et ad tem-« pus iudex vice Christi cogitatur, cui secundum magisteria divina « obtemperet Fraternitas universa ». Romanus itaque Pontifex divi Petri successor Summus Sacerdos vicem Christi gerens, est ille fundamenti lapis, cui universa Fraternitas, seu omnes Episcopi per fidei communionem adhaerero coguntur no in schisma labantur, et qui uti controversiarum iudex, quid credendum sit, toti Fraternitati proponit. Alia quoquo Cypriani loca in medium afferri possent; at quae adduximus, tam perspicua sunt, ut do huius S. Martyris sententia nullum dubitandi locum relinquant.

S. Athanasius, qui anno 325, Concilio Nicaeno interfuit, ac paulo post ad Alexandrinum Patriarchatum evectus est, strenuus catholicae fidei defensor, super omnes Synodos Summi Pontificis auctoritatem, quam saepo imploravit, uti inferius videbimus, agnovit. Ipse et Episcopi Aegyptii in Epistola ad Marcum summum Pontificem, in qua Concilii Nicaeni oxemplaria petunt, haec inter alia scribunt: « Optamus, ut a vestrae S. Sedis Ecclesiae auctoritate, quae est « mater, et caput omnium Ecclesiarum, eam ad correctionem, et « recreationem fidelium orthodoxorum percipere per praesentes « legatos mereamur, quatenus vestra fulti auctoritato, vestrisque « precibus roborati, illaesi a memoratis aemulis Sanctae Dei Ec-« clesiae, et nostris evadere, nobisquo commissos eruere valea-« mus ». In quibus verbis manifeste supponit in Romano Pontifice ratione Primatus voram et integram semper fidem fuisse, eumdem ad compescendos haereticos suprema auctoritate gaudere, ac etiam omnes fideles in vera fido confirmandi munus obtinuisse.

S. Basilius Magnus, Caesareae Cappadociae Archiep. anno 369 renuntiatus, in Epistola 52, quae est ad Athanasium, perspicue

inculcat Romanorum Pontificum esse, fidei ac morum controversias infallibili iudicio ubicumque definire, ea quae perperam a Conciliis etiam generalibus gesta sunt, suprema auctoritate corrigere. Haec sunt eius verba: « Visum est mihi consentaneum, ut scriba« tur Episcopo Romano, ut quae hic geruntur, consideret, et sen« tentiam suam expromat: et quoniam difficile est, ut communi ac « Synodico decreto aliqui illinc mittantur, ipse sua auctoritate in « ista causa usus, viros eligens idoneos ad perferendum itineris la« bores... secumque habentes quaecumque post Ariminense Con« cilium gesta sunt, ad eorum quae per vim illic acta fuerant, dis« solutionem... Requiritur autem et illud a nonnullis qui hic sunt, « et necessario quidem ut etiam nobis ipsis videtur et hoc a non« nullis illic, ut et nobis ipsis videtur, necessario ut Marcelli hae« resim, illi cum venerint, tamquam malam ac noxiam, et a sana « fide alienam exterminent ». Equidem his verbis S. Basilius apertissime ostendit, necessarium non existimare ad veram confirmandam fidem generale Concilium cogere, sed satis esse ut Summus Pontifex *rem consideret, et sententiam suam expromat*, cui a Christo Domino munus per B. Petrum commissum fuit oves ad salutaria verae doctrinae pascua ducendi, et a venenatis haereticorum fontibus arcendi.

S. Gregorius Nazianzenus, amicitia et societate Basilio coniunctissimus, ad Constantinopolitanam Cathedram anno 379 evectus, in carmine de vita sua inter utramque Romam, veterem et novam, seu Romanam Sedem et Constantinopolitanam, comparatione instituta, illam semper illibatam fidem conservasse tradit, non vero alteram. Haec de Romana fide scribit:

« Fides vetustae recta erat iam antiquitus
Et certa perstat nunc item, nexu pio
Quodcumque lubens sol videt devinciens,
Ut universi Praesidem mundi decet
Totam colit quae Numinis concordiam:
Nova vero quondam (de mea iam non mea
Nunc sermo nobis) rectipes erat in fide,
At non item post mersa sub letho gravi. »

In secundo versu vocibus ex graeco *salutari doctrina*, ut metro inserviret, substituit interpres *nexu pio*.

Tria nos docet hisce versibus S. Doctor: 1. Sanctae Romanae Sedis, cuius fides indefectibilis fuit, officium esse, omnes alias in unitate fidei continere, ac sibi tanquam catholicae fidei centro eiusdem catholicae doctrinae professione devincire, prout indicant verba *devincire Ecclesias salutari doctrina*. Et sicut pleraeque Orientis Ecclesiae haeresim arianam sequutae a catholica fide quam conservarunt Occidentales, defecerant, ita exprimit verbis *Quodcumque lubens sol videt*. 2. Hanc auctoritatem continendi ac sibi devinciendi omnes Ecclesias sive Occidentis, sive Orientis, ratione primatus Romanam Sedem obtinuisse, prout indicant verba *ut universi Presidem Mundi ducet*. 3. Cum autem Ecclesia Romana trium sanctissimae Trinitatis personarum consubstantialitatem, quam *concordiam* vocat, continenter adversus Arianos coluit, ac defendit, et in hac fidei professione, ac concordia fideles auctoritate sua retinuit, id Primatui tribuit S. Doctor ac indicat versu *Totam colit quae Nominis concordiam*.

Quae S. Ambrosii sententia fuerit de Romanorum Pontificum in rebus fidei ac morum definiendis infallibilitate, perspicue ex pluribus eius testimoniis superius adductis eruitur. Etenim si loquens de obitu fratris sui Satyri dicit, catholicitatis signum evidentissimum esse, solum cum Romana Ecclesia convenire; si asserit non de carne, sed de fide Petri dictum esse, numquam portas mortis adversus eam esse praevalituras; iam Romanorum Pontificum fidem indefectibilem esse concedit: aliter hoc solum catholicitatis signum esse non posset, cum iis communicare. Alia vero huius S. Doctoris loca recitabimus, quae idem probant. In Psal. 40 Num. 30 haec dicit: « Ipse « est Petrus cui dixit: Tu es Petrus, et super hanc petram aedifi« cabo Ecclesiam meam. Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia; ubi Ec« clesia, ibi nulla mors, sed vita aeterna. Et ideo addidit: et por« tae inferi non praevalebunt ei: et tibi dabo claves Regni Coelo« rum. Beatus Petrus cui non inferorum porta praevaluit, non Coe« li porta se clausit, sed e contrario destruxit inferi vestibula, pa« tere fecit coelestia, Coelum aperuit, inferos clausit. » Sane si ubi

est Petrus seu ubi sunt eius successores Romani Pontifices, qui omnes Primatus praerogativas obtinuerunt, ibi est Ecclesia, et absquo mortis periculo vita aeterna, totum Ecclesiae aedificium necessario in eorum fide fundatum dicendum est; quapropter ea indefectibilis esse debet, atque ita ipsi, portis inferi devictis, in vera fide Christifideles continentes, eis caelestia patefaciunt. Notissima sunt haec Ambrosii verba (Lib. de Sacramentis, cap. 7): « In omnibus « cupio sequi Romanam Ecclesiam. » Quibus quanti existimaverit, cum eadem Ecclesia communionem servare, demonstrat. Hoc opus tum vetustissimi Codices, tum antiquissima Scriptorum testimonia, qui hanc sententiam eidem tribuunt, abunde demonstrant Ambrosio esse tribuendum: et si quis ab Ambrosio illud abiudicare velit, tamen cum vetustissimi scriptoris sit, tamquam traditionis monumentum licet nobis afferre. Tandem idem S. Doctor (Ambr. Class. 2 Epist. 2) nomine Concilii Aquileiensis *prope ex omnibus provinciis Occidentalibus* congesti, ad Imperatores Gratianum, Valentinianum, et Theodosium scribens dicit: « Totius Orbis Romani caput Roma- « nam Ecclesiam, atque illam sanctam Apostolorum fidem, ne tur- « bari sineret, obsecranda fuit clementia vestra. Inde enim in omnes « venerandae communionis iura dimanant. » Quaenam fuerit per id temporis totius Occidentis sententia, ex hisce verbis profluit: catholicae communionis iura in alias Ecclesias dimanare, idem est ac particularibus Ecclesiis qui cum Romana Ecclesia veritatis centro iam communicant, ius tribuere, ut aliarum Ecclesiarum communionem exigere valeant. Illi igitur tantum qui cum Ecclesia Romana communicant, ius habent ad communionem catholicam; ac communicare cum Romanae Ecclesiae fide catholicitatis signum est; ergo indefectibilem eam esse Aquileiense Concilium putavit; alias manifestum ac certum catholicitatis signum cum Romana fide convenientiam statuere non potuisset.

S. Optatus Milevitanus, qui floruit sub Valentiniano et Valente Imperatoribus circa annum 370 (contra Parmen. Lib. 2), ita loquitur: « Igitur negare non potes, scire te in Urbe Roma Petro primo « Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium « Apostolorum Caput Petrus; unde et Cephas appellatus est; in qua

« una Cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli « singulas sibi quisque defenderent; ut iam schismaticus et pecca- « tor esset, qui contra singularem Cathedram, alteram collocaret. « Ergo cathedram unicam, quae prima est de dotibus Ecclesiae, se- « dit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens, etc... « Liberio Damasus hodie qui noster est Socius, cum quo nobiscum « totus orbis, commercio formatarum, in una communionis socie- « tate concordat. » Et ibid. alio in loco dicit: « Claves legimus ac- « cepisse Petrum, Principem scilicet nostrum, cui a Christo dictum « est: Tibi dabo claves Regni Coelorum, et portae inferi non vin- « cent eas. Unde ergo est, quod claves Regni vobis usurpare con- « tenditis qui contra Cathedram Petri vestris praesumptionibus, et « audaciis sacrilegio militatis ». Eas litteras *formatas* appellat S. Optatus, quarum formam Nicaenum Concilium, Can. 18, praescripserat, et quibus omnes Episcopi singulis saltem annis cum Romano Pontifice, saepe etiam invicem communicare solebant. Docet itaque S. Optatus Christum verbis: *Tu es Petrus*, etc., Apostolorum Principem ac totius Ecclesiae Caput Petrum constituisse, unamque in tota Catholica Ecclesia Petri cathedram, ut unitas fidei servaretur, posuisse, cum qua omnes aliae Episcopales Ecclesiae communicare, id est eamdem fidei doctrinam retinere ac profiteri tenentur, ne ab unitate disciscant; in hac autem cathedra iisdem dotibus ac praerogativis exornata sedisse, ac sedere Divi Petri successores: docet insuper claves Petro eiusque successoribus a Christo traditas, numquam posse errori esse obnoxias. Ergo in fidei doctrina toti Ecclesia tradenda Romani Pontifices infallibiles prorsus sunt.

S. Ioannes Chrysostomus, anno 398 Archiepiscopus Constantinopolitanus renuntiatus, (Serm. 49) dicit ob fidei firmitatem Apostolorum Principi Petri nomen impositum fuisse, atque ob eamdem firmitatem Ecclesiae fundamentum fuisse constitutum. Item (cap. 2 Epist. ad Galat.) scribit: « Sed prius dicendum est de Petro, et quo- « modo hic unus ante ceteros discipulos solitus sit profiteri: quando- « quidem etiam cognomen sortitus est ob immutabilem et immobilem « fidem, cum enim omnes essent interrogati, hic ante ceteros prosi- « liens: *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei vivi*. Quo tempore illi cla-

« ves Regni coelorum traditae sunt ». Et sermon. 49 ante medium haec habet: « Petrum quidem certe a virtute sic vocavit, et in eius « nomine firmitatis fidei argumentum, et indicium collocavit, ut « appellatione sua perpetuo tamquam magistra quadam eiusmodi « firmitatis utatur ». At quomodo Petrus hac per suum nomen significata fidei firmitate perpetuo uti potest in docendo? solummodo per suos in Primatu successores Romanos Pontifices, quibus eadem firmitas tradita fuit: et hanc praerogativam pluribus in locis asseruit Chrysostomus; quapropter (Homilia 2 in Psalm. 50, et Homilia de Petro et Elia) Romanum Pontificem vocat *Basim fidei immobilem*.

Quid Hieronymus, qui tum Orientalis, tum Occidentalis Ecclesiae sententiam optime noverat, de hac Romanorum Pontificum infallibilitate senserit, ex iis, quae superius adduximus satis elucet. Heic adiicimus ea quae in Epist. 77 scribit, ubi omnem fidem suam postquam in Symbolo expresserat, ad Damasum se convertens ait: « Haec fides est, Papa Beatissime, quam in Catholica Ecclesia di- « dicimus, quam semper tenuimus: in qua si minus perite, aut pa- « rum caute aliquid forte positum est, emendari cupimus a te, qui « Petri et fidem et sedem tenes. Sin autem haec nostra confessio « apostolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me maculare vo- « luerit, se imperitum vel malevolum etiam catholicum, non me « haereticum comprobavit. ». Quibus verbis fatetur, in Romano Pontifice, qui Petri Sedem tenet, auctoritatem adesse comprobandi quae fides vera ac catholica haberi debeat; quapropter docet eam fidei doctrinam inconcussam esse, quam tenet, et docet Apostolica Sedes, eamque vero falsam, quae tamquam haeretica ab eadem reiicitur, atque damnatur. Hinc in Epist. 8, cap. 9, ad Demetriadem scribit: « Et quia vereor, immo rumore cognovi, in quibusdam « adhuc vivere, et pullulare venenata plantaria, ita te pro charita- « tis affectu praemonendum puto, ut S. Innocentii, qui Apostolicae « cathedrae, et supradicti Viri successor, et filius est, teneas fi- « dem, nec peregrinam, quamvis tibi prudens callidaque videaris, « doctrinam recipias ».

Hanc infallibilitatis praerogativam fidei controversias irreformabili iudicio definiendi S. Augustinum in Summis Pontificibus admisisse, nemo inficias ibit, si haec S. Doctoris verba perpendere velit. Loquens (*Serm. 2. de Verb. Apost.*) de Pelagianis, quos iam duo Concilia damnaverant, hac praecipua ratione tamquam haereticos esse habendos edicit, quia ab Apostolica Sede supremo ac irreformabili iudicio damnati fuerant: « Prorsus, inquit, ubi tales iuvene« ritis occultare nolito. Redarguite contradicentes, et resistentes ad « nos perducite. Iam enim de hac caussa duo Concilia missa sunt « ad Sedem Apostolicam. Inde etiam rescripta venerunt, causa fi« nita est, utinam aliquando error finiatur ». Ideo iuxta Sanctum Doctorem Pelagianorum causa finita erat, non ex eo quod duo iam Concilia adversus illos sententiam protulissent, sed quia solemni ac irreformabili Summi Pontificis Innocentii dogmatico decreto, omnes ad obsequendum fideles cogente, eorum fuerat condemnatus error; etenim dici non potest *causa finita*, nisi decretum, quo controversiae finis imponitur, supremum, ac irreformabile supponatur, ac nisi idem decretum ad eamdem fidem retinendam omnes fideles omnino cogat, ac obliget. Hanc vero S. Doctoris sententiam fuisse ex aliis eius scriptis eruitur; afferam illud ex Lib. 1 Oper. imperf. adv. Iulianum ubi haec dicit: « Quid adhuc quaeris examen quod « iam factum est apud Apostolicam Sedem? Damnata ergo haeresis « ab Episcopis non adhuc examinanda, sed coercenda est a potestatibus Christianis ». Quibus verbis enunciat indefinita ac nullis circumscripta limitibus Sedem Apostolicam auctoritate gaudere fidei controversias suo irreformabili iudicio definiendi; atque id unum Pelagianis sufficere debere, quod eorum haeresis a Summo Pontifice fuerit damnata.

S. Petrus Chrysologus Ravennatum Episcopus anno circiter 433 renuntiatus, Epist. ad Eutychem, eumdem hortatur ut supremo Summi Pontificis iudicio se subiiciat, qui eadem in fidei causis dirimendis auctoritate pollet, qua fuit Divus Petrus a Christo Domino donatus. En eius verba: « In omnibus hortamur te, Frater hono« rabilis, ut iis quae a Beatissimo Papa Romanae civitatis praescri« pta sunt, obedienter attendas; quoniam Beatus Petrus, qui in

« propria Sede vivit, et praesidet, praestat quaerentibus fidei ve-« ritatem ».

Damnato Eutiche in Constantinopolitano Coucilio, ita illius Regiae Urbis Flavianus Episcopus ad S. Leonem scribit: « Libellos « vobis direxit plenos fallacia atque calliditate, dicens iudicii tem-« pore libellos se dedisse appellationis, et nobis et hic convenienti « S. Concilio et appellasse vestram Sanctitatem. Quod nequaquam « ab eo factum est, sed etiam in hac parte mentitus est, tamquam « per fallaciam mendacii subrepere se sanctis auribus vestris pu-« tans ». His praemissis ad removendam calumniam, iudicium, interposita ad Summum Pontificem appellatione contempta, prolatum fuisse, ita prosequitur: « Propriam faciens causam et Eccle-« siasticam disciplinam, simul decernere damnationem adversus « eum regulariter factam, et per propria scripta dignare. Confor-« tare autem et piissimi Imperatoris fidem. Causa enim eget solo « vestro solatio et defensione, qua debeatis consensu proprio ad « tranquillitatem et pacem cuncta perducere. Sic enim haeresis « quae surrexit, et turbae quae per eam factae sunt, facillime de-« struentur, Deo cooperante per vestras sanctissimas litteras. Re-« movebitur autem et Concilium quod fieri divulgatur, quatenus « nequaquam ubique sanctissimae turbantur Ecclesiae ». Quemadmodum Augustinus Pelagianam causam, solo irreformabili Sedis Apostolicae iudicio, finitam esse dixerat, ita S. Flavianus tantam circa hasce fidei causas in Romano Pontifice auctoritatem agnovit, ut eam solam requiri, ac sufficere existimaverit ad novam Eutychianorum haeresim profligandam, quin necessarium ac utile esset, ad eum finem novum Concilium convocare, quod fortasse occasionem praeberet maiores in Ecclesia turbas excitandi.

Romani Pontificis infallibilem auctoritatem Episcopi Provinciae Tarraconensis admiserunt in Epistola ad Hilarium Summum Pontificem; in ea postquam venerati sunt primatum in universam Ecclesiam a Christo Domino Petro, eiusque successoribus collatum, ita subiungunt: « Proinde nos Deum in vobis primitus adorantes, « cui sine querela servitis, ad fidem recurrimus Apostolico ore « laudatam, inde responsa quaerentes, unde nihil errore, nihil

« praesumptione, sed Pontificali totum deliberatione praecipitur ». Neque unius tantum Provinciae, sed communem esse per id temporis totius Ecclesiae de infallibilitatis privilegio sententiam, eruitur ex his eruditissimi S. Fulgentii verbis (*Lib. de Incarnat. et de Gratia et Lib. arbitr.*): « Id quod Romana quae mundi caput « est, tenet, et docet Ecclesia, totus cum ea Christianus Orbis, et « ad iustitiam nihil haesitans credit, et ad salutem non dubitat « confiteri ». Equidem non ita locutus esset S. Fulgentius, nisi iis temporibus tota Ecclesia id credidisset; sententia enim in causis fidei solius Romani Pontificis, tamquam universae Catholicae Ecclesiae iudicium excipiebatur. Quare Possidius in Vita S. Augustini Sanctornm Pontificum Innocentii, ac Zosimi sententiam adversus Pelagium, ac Coelestium latam, Catholicae Ecclesiae iudicium appellat; ita enim (*Cap.* 18) scribit: « Illi tantae Sedis Antistites « suis diversis temporibus eosdem notantes, aeque a membris Ec« clesiae praecidentes, datis litteris ad Africanas Orientis, et Occi« dentis Ecclesias eos anathematizandos, et devitandos ab omni« bus catholicis censuerunt. Et hoc tale de illis Catholicae Eccle« siae prolatum iudicium, etiam piissimus Imperator Honorius, « audiens ac sequens, suis eos legibus damnatos inter haereticos « haberi debere constituit ». Idipsum de hisce decretis Gennadius in *Catalogo* tradit: « Innocentius Urbis Romae Episcopus scripsit « decretum Occidentalium, et Orientalium Ecclesiarum adversus « Pelagianos datum. Quod postea successor eius latius promulga« vit. » Decreta itaque Summorum Pontificum in rebus fidei uti supremae et irreformabiles Ecclesiae leges habebantur.

S. Gelasius in suis ad Orientales epistolis necessitatem adstruens cum Sedis Romanae fide communionis, infallibilitatis privilegium Petro eiusque successoribus fuisse a Christo Domino tributum ostendit. In *Epistola* 14, Evangelica verba refert, ac postea prosequitur: « Quare igitur ad Petrum tam frequens Domini sermo dirigi« tur? Numquidnam reliqui sancti, et beati Apostoli non erant si« mili virtute succincti? Quis hoc audeat affirmare? Sed ut capite « constituto schismatis tolleretur occasio, et una monstraretur « compage corporis Christi, quae ad unum caput gloriosissima di-

« lectionis societate concurreret, et una esset Ecclesia, cui fideli-« ter crederetur ». Et addit S. Petrum « praestitisse Sedi, quam « ipse benedixit ut a portis inferi nunquam pro Domini promissione « vincatur, omniumque sit fluctuantium tutissimus portus, in quo « qui requieverit, beata et aeterna statione gaudebit; qui vero con-« tempserit, ipse videbit qualia genera excusationum in die obten-« dat iudicii ». In decreto autem de libris recipiendis, vel non recipiendis, libros solummodo ab orthodoxis Patribus scriptos approbandos esse declarat, « qui in nullo a Sanctae Romanae Eccle-« siae consortio deviarunt, nec ab eius fide vel praedicatione seiun-« cti sunt ».

S. Avitus Viennensis, vir sanctissimus ac doctissimus ab Hormisda Pontifice Vicarius in Galliis constitutus, Romani Pontificis auctoritati infallibili in fidei ac morum controversiis definientis una cum universa Galliarum Ecclesia, venerationis, ac obedientiae apertissima signa exhibuit. In *Epistola* 87 *ad Hormisdam* Pontificem, quaerens ab ipso quid de Nestorio, et Eutyche aliisque schismaticis factum fuerit, scribit: « Iam securus non dicam id Viennensi, « sed de totius Galliae devotione polliceor, omnes super statu fidei « vestram captare sententiam ». Tota igitur Gallia quid in rebus fidei ac morum sit retinendum ab ore solius Romani Pontificis exquirere non dubitabat. Ipse S. Avitus in Epist. 36 ad Conarium Patricium ait: « Scitis Synodalium legem esse, ut in rebus quae ad « Ecclesiae statum pertinent, si quid fuerit dubitationis exordium, « ad Romanae Ecclesiae Maximum Sacerdotem, quasi ad caput no-« strum, membra sequentia recurratis » Ubi verbis *Synodalium legum esse* apertissime docet, hanc communem eo tempore in Ecclesia fuisse sententiam, in pluribus Synodalibus statutis exhibitam, in fidei controversiis supremo Romani Pontificis iudicio esse parendum.

Epiphanius Constantinopolitanus litteras de sua electione ad eumdem Hormisdam dedit, in quibus suum profitetur obsequium ac adhaesionem fidei doctrinis ab Apostolica Sede definitis. (Inter Epist. Hormisd. col. 666 d.): « Est mihi oratio (scribit) magno-« pere uniri me vobis, et divina amplecti dogmata, quae ex beatis

« et sanctis discipulis, et Apostolicis Dei, praecipuo summi Petri « Apostolorum Sedi sanctae vestrae sunt tradita, et nihil eis pre- « tiosius existimare ».

Stephanus Episcopus Larissae in libello Bonifacio II Pontifici ac Romanae Synodo anno 531 oblato, Apostolicae Sedis fidem nunquam defecturam esse fatetur, docens, in eius confessione, seu fide, tuto posse omnes alias Ecclesias conquiescere. « Auctoritas, « inquit, Sedis Apostolicae, quae a Deo Salvatore nostro summo « Apostolorum data est, sanctarum Ecclesiarum privilegiis ante- « cellit, in cuius confessione omnes requiescunt Ecclesiae. »

Mennas Constantinopolitanus Episcopus, quartam sessionem Synodi Constantinopoli habitae anno 536 ita concludit: « Nos enim, sicut ait vestra caritas, Apostolorum Sedem sequimur, et obedi- « mus et ipsius communicatores, communicatores habemus, et con- « demnatos ab ipsa nos condemnamus ». Quid est autem in omnibus sequi doctrinas ab Apostolica Sede traditas, eiusque fidei decretis obedire, ac cum iis tantum communionem servare, qui cum eadem communicant, nisi pro certo habere, eam in veritate fidei ac morum edocenda infallibilem esse? Unde Vigilius Papa ita Mennam laudat (*Epist. V*): « Quid est charitati tuae dignius, quod con- « veniat, nisi a Romanorum Praesulum non deviare doctrina? »

Idem Vigilius epistolis Profuturi Episcopi Bracarensis, in quibus summum obsequium suum erga Sedis Apostolicae in fide tradenda auctoritatem significaverat, his verbis respondit: « Regulam cathô- « licae fidei, iisdem studes tenere vestigiis, quibus eam in Aposto- « lica fide cognoscis fundatam ».

S. Gregorius Magnus, in Epistola ad Vigilium Arelatensem Episcopum, quem Vicarium suum in Galliis constituerat, hanc in fidei praesertim controversiis regulam sequendam tradit: « Si qua vero « inquisitio de fide, vel fortasse aliarum rerum inter Episcopos cau- « sa emerserit, quae discerni difficilius possit, collectis duodecim « Episcopis ventiletur atque decidatur. Si autem decidi nequiverit, « discussa veritate ad nostrum iudicium referatur ». Et in alia epistola, quae est 52 Libri quarti, ad omnes Galliae Episcopos scripta, docet, controversiarum fidei supremum Iudicem, cuius est infalli-

bili iudicio omnia fidei dubia dirimere, solum esse Romanum Pontificem. « Si quam contentionem, inquit, quod longe faciat divina « potentia, de fidei causa evenire contigerit, aut negotium emerse« rit, cuius vehemens sit fortassis dubietas, et pro sua magnitudine « iudicio Sedis Apostolicae indigeat; examinata diligentius veritate, « relatione sua ad nostram studeat perducere notionem, quatenus a « nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari »'.

S. Maximus Monachus et Martyr, qui celeberrimam habuit cum Pyrrho Episcopo Constantinopolitano controversiam, in Epistola ad Marinum Diaconum, quae a Baronio ad an. 648 refertur, docet Romanam Ecclesiam in fide tradenda infallibilem esse; etenim ideo ait omnium aliarum Ecclesiarum fundamentum solidum et maximum esse, quod nunquam ex divina promissione portae inferi evertere possunt, quia verae fidei claves possidet, non errandi privilegio exornatas. « Omnes, inquit, termini terrae, et quicumque « ubique terrarum Christum Dominum, pura mente, et orthodoxa « fide confitentur, quasi ad Solem aeterni luminis Sanctissimam « Romanorum Ecclesiam, et eius confessionem et fidem intenti re« spiciunt, ex ipsa rutilantem splendorem recipientes; spiritualium, « et sanctorum dogmatum; quemadmodum sex illae Sanctae Sy« nodi disertis verbis, et magna cum religione exposuerunt, aper« tissime pronunciantes fidei symbolum. Ab initio enim adventus « Incarnati Verbi universae ubique terrarum Christianorum Eccle« siae a Sancta Romana Ecclesia originem habuerunt, fundamentum « solidum et maximum, contra quod portae inferi nullo pacto prae« valebunt, iuxta ipsiusmet Salvatoris promissionem, ut habeat « claves scilicet orthodoxae fidei et confessionis, et aperiat illis qui « ad ipsam Romanam Ecclesiam cum pietate accedunt, veram et « realem solam pietatem quaerentes: et claudat e contra, et ob« struat omne os haereticorum, quod loquitur iniquitatem in « Coelum. »

Episcopi Numidiae, Byzicenae, ac Mauritaniae in Concilio collecti, in Synodica Epistola ad Theodorum Pontificem missa, scribunt: « Magnum et indeficientem omnibus Christianis fluenta re« dundantem, apud Apostolicam Sedem consistere fontem nullus

« ambigere possit, de quo rivuli prodeunt affluenter, universum « largissime irrigantes Orbem Christianorum, cui etiam in honorem « Beatissimi Petri Patrum decreta peculiarem omnem decrevere re- « verentiam in requirendis Dei rebus, quae omnino, et sollicite de- « bent, maxime vero iusteque ab ipso Praesulum examinari ver- « tice Apostolico, cuius vetusta sollicitudo est tam mala damnare, « quam probare laudanda. Antiquis enim Regulis sancitum est, ut « quidquid, quamvis in remotis vel in longinquis positis ageretur « provinciis, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad no- « titiam almae Sedis vestrae fuisset deductum, ut huius auctoritate, « iusta, quae fuisset, pronunciatio firmaretur, indeque sumerent ce- « terae Ecclesiae, veluti de natali suo fonte praedicationis exordium, « et per diversas totius mundi regiones, puritatis incorruptae ma- « narent Fidei Sacramenta salutis. Quocirca humillimum vestro « Apostolico culmini persolventes obsequium, etc. »

Quid de hoc privilegio octavi saeculi initio Anglorum Eccle- sia senserit, ex his Venerabilis Bedae verbis liquet (Homil. in Fest. B. Petri): « Petrus qui Christum vera fide confessus, vero est a- « more secutus, specialiter claves regni coelorum, et principatum « potestatis iudiciariae accepit, ut omnes per orbem credentes in- « telligant, quia quicumque ab unitate fidei vel societatis illius quo- « libet modo seipsos segregant, tales nec peccatorum vinculis ab- « solvi, nec ianuam possint Regni coelestis ingredi. » Ex his con- cludit: « unde nos necesse est tota intentione, fratres charissimi, « et fidei, quam docuit Sacramenta discere, et congruentia fidei « opera demonstrare ».

Ex Auctore operis Carolini quaenam eo tempore Galliarum Ec- clesiarum de hoc Romani Pontificis divino privilegio sententia fue- rit, apertissime patet. Notum est inter complures illius aevi Galliae ac Germaniae Episcopos, et Romanum Pontificem propter Synodi septimae decretum aliquam dissensionem interfuisse, non quoad fi- dei substantiam, sed quoad disciplinam, cultum etsi relativum sa- crarum imaginum attingentem; quem Episcopi ob oeconomiam, quam prudentem existimabant, etiamsi licitum agnoscerent, in pra- xim deducere metuebant, ne locus abusibus in eorum Dioecesibus

daretur. Attamen iuxta Galliae sententiam haec de infallibilitate Romanorum Pontificum in rebus fidei (*Lib. I, cap.* 6 *operis Carolini*) leguntur. « Haec ergo (Sedes Apostolica) sanctae fidei spiritualibus munita armis, et a fonte lucis, et origine bonitatis salutaribus satiata fluentis, et horrendis atrocibusque haeresum obstitit monstris, et mellifluae praedicationis pocula catholicis per Orbem ministrat Ecclesiis. Nam beatissimus Hieronymus vir divinis legibus et multarum linguarum peritia eruditus, dum Bethlehemiticis moraretur in arvis, et a Papa Damaso Romae posito de difficillimis consuleretur quaestionibus; eum pro causis fidei viceversa consuluisse dignoscitur et sive tacendarum, sive dicendarum hypostaseon, vel quibus in Orientalibus partibus communicare debeat, humillimis apicibus, ut apices accipiat, deprecatur... Unde datur intelligi, sanctos et eruditos viros per diversas mundi partes praedicationis, et scientiae lampade coruscantes, non solum a S. Romana Ecclesia non recessisse, sed etiam tempore necessitatis, ob fidei corroborationem, ab ea adiutorium implorasse. Quod regulariter ut praefati sumus, et exemplis docuimus, omnes catholicae debent observare Ecclesiae, ut ab ea post Christum ad muniendam fidem adiutorium petant, quae non habet maculam neque rugam, et portentosa haereseon capita calcat, et fidelium mentes in fide corroborat, a cuius sancta et veneranda communione, multis recedentibus, nostrae tamen partis numquam recessit Ecclesia, sed ea Apostolica eruditione instruente, et eo, a quo est omne donum optimum, et omne donum perfectum, tribuente, semper suscepit reverenda chrismata. »

Adrianus I in Epistola ad Galliae et Hispaniarum Episcopos, Petri fidem inconcussam in Petri, ac eius successorum sede conservari ac extra Ecclesiam esse eos, qui ab illius Sedis fide dissentiunt, affirmat. « Qui se a B. Petri fidei communione dissociant, relicta (heu miseri!) inviolabilis petrae inconcussa firmitate, super lubrica et arenosa ruralia perfidiae domum fabricare festinant. »

Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, in Synodica ad Leonem Papam, persistendum esse docet in fide Romanis Pontificibus tradita, ut quis in Dominici gregis caula sit (Tom. 3 Concil. Lab.

Ven. Edit. col. 314): « Vestra fraternitas... opportunis sermonibus, « et ipsis quoque verbis nos confirmet informetque, quo vestris « legibus, vestraque suffulti doctrina, in hac fide stabiles, simpli- « ces, et ab omni defectu immunes persistamus; et universum de- « nique rationabilem nostrum gregem summi pastoris nomine, et « unctione insignitum, intraquo ecclesiasticae caulae septa constitu- « tum, manifesta Divinae illius, et Apostolicae spiritualis doctrinae « fistula ebuccinatione, vocibusque divinis inspiratis in unum con- « gregemus ».

S. Theodorus Studita, qui anno 826 martyrii palmam consequutus est, *in Epist. ad Noveratium,* eos a Christi corpore avulsos esso docet, qui ab Ecclesiae Romanao fide, adversus quam ex Christi promissione nunquam portae inferi praevalebunt, desciverunt: « Testor nunc coram Deo et hominibus; seipsos (Iconomachi) « avulserunt a corpore Christi et supremo verticali throno (Romana « Sede), in quo Christus claves posuit fidei, adversus quem non « praevaluerunt hactenus, neque praevalebunt usque ad consumma- « tionem portae inferi, ora videlicet haereticorum, sicut pollicitus « est ille qui non mentitur ».

Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus (*Praefat. Lib. de Divortio Lotharii et Teutbergae*) consulendam esse dicit in omnibus dubiis quae ad fidem, et mores pertinent, Romanam Ecclesiam, matrem, et magistram omnium Ecclesiarum: « De omnibus dubiis et « obscuris, quae ad rectae fidei tenorem, vel pietatis dogmata per- « tinent, S. Romana Ecclesia ut omnium Ecclesiarum mater et « magistra, nutrix, ac doctrix est consulenda, et eius salubria mo- « nita sunt tenenda. » Docet autem (*Lib. de Praedestinatione*) hunc primatum Romanam Sedem, non ab hominibus, sed ab ipso Christo obtinuisse: « Quae non ab homine, neque per hominem, sed per « Dominum Iesum Christum, sicut Petrus et Paulus Apostolatum, « ita et haec Sancta Sedes omnium civitatum meruit principatum »; et (*cap. 24*) praeterea scribit, huius Ecclesiae doctrinam pios et devotos catholicos tutissimos reddere: « Piis, devotis, atque catho- « licis hoc debet sufficere, quod omnium Ecclesiarum mater sancta, « catholica, atque Apostolica docet Romana Ecclesia ».

S. Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus, in Epistola ad Summum Pontificem Nicolaum I, quae in Actione 5 Octavae Synodi lecta est, his verbis infallibilem in rebus fidei Romanorum Pontificum auctoritatem profitetur: « Dixit Petro Magno, et summo Apo-« stolorum: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Eccle-« siam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Tibi « dabo claves Regni Coelorum, etc..., Tales enim beatas voces « non secundum quamdam utique sortem Apostolorum Principi so-« lum circumscripsit, et definivit, sed per eum ad omnes, qui post « illum secundum ipsum efficiendi erant Summi Pastores, et divi-« nissimi, sacrique Pontifices senioris Romae transmisit. Et ideo « ab olim, et prisco tempore in exorsis haeresibus, et praevarica-« tionibus Eradicatores, et Interemptores malorum zizaniorum, et « labefactorum, et penitus insanabiliter aegrotantium membrorum « multi multoties facti sunt eorum, qui sanctitatem, et summam « Paternitatem tuam illic praecesserunt, scilicet Principis Aposto-« lorum et illius zelum in fide quae secundum Christum est, imi-« tantes ».

Haec omnia Patrum ac Doctorum testimonia, qui ante Graecorum schisma floruerunt, abunde demonstrant, hanc in universa Ecclesia sententiam ab apostolico aevo usque ad saeculum nonum constanter viguisse, Romanos Pontifices in Romana Cathedra divi Petri successores, ex Christi institutione in rebus fidei ac morum infallibili magisterio fuisse donatos, cui ab omnibus, sive oves, sive agni sint, poena avulsionis a Christi corpore, parendum est. Exploratum autem mihi videtur, pauca esse fidei dogmata quae amplioribus ac luculentioribus antiquitatis testimoniis demonstrari possint; quapropter quae in medium protulimus, traditionem ex Patrum ac Scriptorum testimoniis haustam satis ostendunt, neque necessarium duximus loca Doctorum qui posterioribus saeculis scripserunt, huc afferre, cum nemo sit qui ignoret, eos Pontificium privilegium maioribus, ac amplioribus nominibus commendasse. His accensendi sunt S. Petrus Damianus (Serm. 3, qui est de nativit. Ioannis Baptistae, et Opusc. 5, Cap. 1), S. Anselmus Cantuariensis (Lib. de Incarnat. Verbi cap. 1), Rupertus Abbas (Lib. 2 de Officiis), Hugo a S. Vi-

ctore (Lib. 2 de Sacrament. part. 2), S. Bernardus (Epist. 190 ad Innocent. II), S. Thomas, aliique complures.

ARTICULUS III.

Referuntur Monumenta Ecclesiasticae Historiae ad eamdem traditionem confirmandam.

Ecclesiasticae Historiae monumenta pervolvendo facile ostendi potest, quod ab ipso Apostolorum aevo exortis circa fidem, ac disciplinam controversiis, ac dubiis ex Oriente aeque ac ex Occidente ad Romanam Petri Sedem relationes mitterentur, atque inde lata decreta uti definitivae ac irreformabiles sententiae, et veluti firmae regulae haberentur: et quamquam plurima antiquitatis monumenta ob persecutiones interierint, attamen pauca quaedam ad nos venerunt a criticis omnibus tamquam genuina recognita, quae hanc veritatem satis ostendere valeant; quanta nimirum animorum sollicitudine, ac humilitate fidei, ac disciplinae causae ad Summum Pontificem per id temporis referrentur, ac de iis supremum ac definitivum iudicium expostularetur, quemadmodum suis temporibus testatur S. Hieronymus commemorans (Epist. 91 ad Ageruchium) plura ad Damasum relata, et ab eodem responsa: « Cum in chartis Ecclesiasticis iuvarem Damasum Romanae Urbis Episcopum, et Orientis Occidentisque Synodicis consultationibus responderem ». Horum autem initia ab ipsis Apostolorum temporibus Theodoretus repetit in Epistola ad S. Leonem (inter Leonis Epist.) eiusque primum exemplum profert ex Apostolo Paulo, qui tametsi esset *praeco veritatis et tuba Spiritus Sancti*, in prima tamen illa de legalibus controversia, ut nobis exemplum relinqueret, « ad magnum Petrum se contulit, et iis qui Antiochiae de legali conversatione ambigebant, explicationem ab ipso referret ». Paulus itaque licet ex divina revelatione quid in illa controversia foret sentiendum, nosceret, Ecclesiae auctoritati obsequium praestans, afflante divino Spiritu Hierosolymam ad Petrum iterato se contulit. Coacto illius Eclesiae Concilio non Iacobus Hierosolymitanus Episcopus, sed Petrus uni-

versalis Ecclesiae Caput praefuit, post disquisitionem decretorium iudicium proferens, cui omnes, dissentientes quoque, humillime obsequentes se subiecerunt. Petri sententiam illius auctoritate moti sequuti sunt Apostoli: *Simon narravit, quemadmodum primum Deus visitavit, sumere ex gentibus populum Nomini suo.* Hic est animadvertendum, etsi non universale omnium Apostolorum sed illius Ecclesiae tunc Matricis esset hoc Concilium, tamen quia Ecclesiae Caput Petrus illi praefuit, ac decretoriam sententiam protulit, tantae auctoritatis fuisse, ut merito potuerint dicere: « Visum est Spiritui Sancto et nobis », et divina auctoritate dissentientibus silentium imponere omnesque fideles ad obedientiam cogere. Petro enim dictum est a Christo: *Confirma fratres tuos* ». Illud autem Concilium particulare fuisse ex iis quae in Epistola ad Galatas narrat Paulus Apostolus, apertissime constat. Nam, Cap. I, v. 18, dicit post annos tres a sua conversione venisse videre Petrum, alium autem Apostolorum vidisse neminem nisi Iacobum fratrem Domini. Postea, Cap. 2, v. 1, haec scribit: « Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Ierosolymam cum Barnaba assumpto Tito »; et v. 9: « Et cum cognovissent gratiam quae data est mihi, Iacobus et Cephas, et Ioannes... dexteras dederunt mihi ». Testatur itaque Paulus se solum in vita hos Apostolos Petrum, Iacobum ac Iohannem vidisse. Non itaque omnes Apostoli, qui per dissitas Provincias ad Christi Evangelium praedicandum dispersi erant, sed aliqui tantum Petrus, Iacobus Ierosolymorum Episcopus, et Ioannes qui saepe Ierosolymam adibat, ac seniores et Presbyteri qui in ea urbe erant, in illud Concilium convenerunt. Gratis autem a quibusdam eruditis viris asseritur, omnes Apostolos illi Concilio per miraculum adstitisse, id enim nullo modo cum iis quae Paulus narrat, conciliari potest.

Unum aevi Apostolici exemplum commemorabimus, Presbyterorum Corinthi, qui brevi post Petri obitum a schismaticis quibusdam a ministerio deiecti, non ad Apostolos qui adhuc in vivis erant, sed ad Romanum Pontificem Clementem Petri successorem appellarunt. Sanctus Pontifex ut supremus in fidei causis iudex (Epistola I ad Corinthios apud Coustantium, Num. 57) hanc protulit senten-

tiam « Vos ergo, qui seditionis fundamenta iecistis, subditi estote « Presbyteris, et connexionem accipitis in poenitentiam, flectentes « genua cordis vestri discite subiici, doponentes arrogantem, ac « superbam linguae vestrae iactantiam. Melius enim vobis est in « ovili Christi parvos, et probatos inveniri, quam altum sapientes « e spo illius deiici ». Non itaque ad Apostolos viventes appellantes remisit Pontifex, sed suprema sua Ecclesiae Capitis auctoritate utens, seditiosos poenitentiae addixit, ac iussit eos Presbyteris suis ab Apostolicis viris ordinatis, subditos esse, eosque in fide confirmavit.

Aliud vetustissimum secundi saeculi monumentum exercitii huius supremae potestatis, et obsequii ac reverentiae, qua iis temporibus doctrinae monita, ac praecepta ab Apostolica Sede tradita a fidelibus excipiebantur, ab Eusebio exhibetur, qui (Lib. 4, Cap. 25 Historiae Eccl.) fragmenta Epistolae refert, quam Dionysius Corinthiorum Episcopus ad Soterum summum Pontificem rescripserat, ex qua probatur, Soterum epistolam antea ad Corinthios scripsisse, quae cum praeceptis ac documentis optimis abundaret, tanti ab illis aestimabatur, ut perpetuo eam in Ecclesiis legendam esse constituerint. Eodem saeculo secundo Lugdunenses Martyres ab Asianis Episcopis interrogati, quid circa Montanistarum doctrinam esset sentiendum, non statim eam uti erroneam damnarunt, sed cum probe noscerent in hisce controversiis definitivum ab Apostolica Sede exquirendum iudicium, ad Summum Pontificem Soteri successorem, Eleuterium, eius sententiam postulantes, S. Irenaeum tunc illius Ecclesiae Presbyterum miserunt. Aliud secundi saeculi monumentum meminerimus ex Irenaeo depromptum (Epist. ad Victorem, apud Eusebium, Lib. 5, Cap. 23). Consuetudo ab Apostolorum aevo a Romana Ecclesia aliena apud Asianos invaluerat, in ipsa die decimaquarta Lunae Mensis Nisan Pascha celebrandi. Ut de hac re Summo Pontifici rationem redderet S. Polycarpus Romam venit; at cum pro diversis temporis circumstantiis rationes prius Aniceto a Policarpo expositae, probandae adhuc non viderentur, Victor Summus Pontifex, comminata adversus renitentes excommunicationis sententia, Asianis praecepit, ut Pascha iuxta Romanam consuetudinem celebraretur. Agebatur utique de re quae ad ecclesiasticam disci-

plinam pertinebat; at quia errori contra fidem hoc negotium occasionem praebere poterat, ideo tantam Sedis Apostolicae severitatem promeruerat. Inter tot Asianos Episcopos, qui omni conatu antiquum morem servare studuerant, nemo fuit, qui pontificiam auctoritatem denegaret, licet aliqui, uti Polycrates Ephesinus Episcopus, et S. Irenaeus, ob causam, in qua nullum esse fidei discrimen ex errore putabant, nimia severitate in illius poenae comminatione Victorem usum fuisse existimarent.

Saeculo tertio Novatianus schismate in Urbe Romae excitato, novam haeresim sparsit pluribus erroribus conflatam, quorum praecipuus erat: Ecclesiam in persecutione Lapsis, id est Sacrificantibus et Libellaticis poenitentiam indulgere non posse: deinde caeteris etiam criminibus post Baptismum commissis nullam ab Ecclesia veniam tribui posse asseruit. Ad haeresim profligandam, et ad Novatianum, eiusque compescendos sectatores Concilium Romae S. Cornelius summus Pontifex celebravit, anno Christi 253, cui sexaginta Episcopi, totidemque Presbyteri interfuerunt, in quo Lapsis, ut ad bonam frugem redirent, poenitentiam denegandam non esse decrevit, aliosque errores damnavit, et Novatianum, eiusque asseclas anathemate perculit. Petrus per Cornelium loquutus est, et quid in hac controversia, quae iam plurimas in Ecclesia excitaverat turbas, esset de fide sentiendum, definivit solus Romanus Pontifex; Pontificiae vero sententiae, veluti ab ore Petri prolatae, ómnes Ecclesiae paruerunt eadem animi submissione, quam sequentibus saeculis, Conciliorum generalium decretis praestiterunt.

Eodem tempore celebre fuit decretum in causa rebaptizantium a Sancto Stephano Summo Pontifice latum. Error de rebaptizandis ab haereticis baptizatis in Africa ortus, cito per Orientem propagatus fuit, ibique defensores sanctitate et doctrina insignes habuit, Firmilianum praecipue Caesareae in Cappadocia Episcopum; et in pluribus quoque conciliis particularibus firmitatem obtinuit, praesertim in Iconiensi et Synadensi, anno circiter 256. Hunc errorem vehementer improbavit S. Stephanus, et suo definitivo dogmatico decreto profligavit.

Eodem saeculo S. Dionysius Alexandrinus Episcopus Xistum Secundum de Sabellianis haereticis, qui tunc temporis increscebant, certiorem reddidit, et, ne forte hallucinaretur, sententiam ab eo expetiit (*apud Constant. Epist. Rom. Pont.*). At haec in fidei causis Summorum Pontificum decernendi potestas magis emicuit in causa ipsius Sancti Dionysii, quem quasi male de Christi divinitate sentiret, apud S. Dionysium Pontificem Romanum plures Catholici accusaverant, ut in ordinem redigeretur. Iussit Pontifex ut ille de fide suâ rationem redderet; statim Pontificis mandato obtemperans S. Dionysius Codicillos apologeticos ad eum misit, ut ab omni haeresis suspicione se purgaret. Equidem neque Catholici coram Pontifice Patriarcham in fidei materia detulissent, neque S. Antistes excusationes misisset, nisi omnes exploratum habuissent Summos Pontifices suprema ac infallibili auctoritate potiri in rebus fidei iudicium ferendi. Haec a S. Athanasio (Lib. de Synodis Arimini et Seleuciae) his verbis memorantur: « Cum quidam Alexandrinum « Episcopum apud Romanum accusarent, quasi qui filium opus et « non consubstantialem Patri diceret, et Synodus Romae coacta in« digne tulit. Romanus ad cognominem sibi Episcopum omnium « sententiam praescripsit, ac iam inde ille se ad defensionem parans, « libello suo titulum refutationis, Apologiae indidit ».

Saeculo quarto Constantinus Imperator Donatistarum causam Melchiadis Romani Pontificis cognitioni, cuius tantum erat ius de his iudicandi, Romam remisit. Posteriori anno 314, Patres Concilii Arelatensis epistolam ad Sylvestrum Pontificem miserunt, eum rogantes ut Concilii decreta confirmaret, et toti Ecclesiae servanda proponeret, *iuxta consuetudinem*, qua Romanus Episcopus litteras ad omnes dirigeret: atque ita fatebantur solius Pontificis Romani proprium esse, in materia fidei decreta condere, quibus omnes fideles obtemperare teneantur. Hanc supremam Pontificis auctoritatem ostendunt gesta a Iulio Pontifice in causa Athanasii, et ea quae ab eodem Pontifice illa occasione edita sunt. Athanasium ab Eusebianis in Antiochensi Concilio depositum, Concilii actis expunctis, in communionem recepit Pontifex, eiusque hostes ad Apostolicum tribunal vocavit, potestate a Divo Petro causas fidei irreformabiliter

definiendi accepta longo usu, et consuetudine confirmata innixus, uti eruitur ex Epistola quam Athanasius in Apologia 2 refert. Haec sunt Pontificis verba: « An ignoratis hanc consuetudinem esse, ut « primum nobis scribatur, ut, quod iustum est, definiri possit? Qua- « propter si isthic huiusmodi suspicio in Episcopum concepta fue- « rat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit. Nunc autem « nos quos certiores minime fecerunt, postquam iam egerint quod « libuit, suffragatores suae damnationis, cui non interfuimus, esse « volunt. Non ita se habent Pauli ordinationes, non ita Patres do- « cuerunt, sed fastus ille et novum studium est. Obsecro vos cum « alacritate, pro publico bono ista scribo. Quae enim accepimus a Bea- « to Petro Apostolo, ea vobis significo, nos scripturus alioqui, quae « nota apud vos arbitror, nisi facta ipsa non conturbassent ». Quapropter nedum Athanasium Alexandrinum Patriarcham, sed et Paulum Episcopum Constantinopolitanum, Marcellum Ancyrae, Asclepam Gazae, et Lucium Adrianopolis, omnes ab haereticis exauctoratos, singulos in suas Sedes restituit. De iisdem ita scribit Sozomenus (Hist. Eccl. Lib. 3, Cap. 7): « Quorum criminationes cum « Episcopus Romanus intellexisset, ut omnes fidei Concilii Nicaeni « consentientes reperisset, in communionem recepit. Ac cum pro- « pter Sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis « suam Ecclesiam restituit, scripsitque ad Episcopos Orientis, eos- « que incusavit, quod inconsulto de hisce Episcopis iudicassent, « Ecclesiasque perturbassent, cum Decretis Concilii Nicaeni stare « nollent... Quin etiam minatus est, se de reliquo non passurum « eos inultos esse, nisi novis rebus studere desisterent ». Hoc supremae in causis fidei potestatis exercitium, quo Orientales Episcopi, ipsique Patriarchae a sua Sede iniuste depositi in pristinos honores restituebantur, tamquam ex primatu profluens a Divo Petro eiusque successoribus collato, summa Patrum veneratione excipiebatur.

Eodem saeculo quarto Patres Oecumenici Concilii secundi Constantinopolis, id est totius Orientis Episcopi, luculentissimum de hoc Summorum Pontificum divino privilegio testimonium reddiderunt, cum Pontificem Damasum veluti caput suum venerati sint,

in eo agnoscentes Generalia Concilia convocandi potestatem, et eorum quoque acta confirmandi, uti ex eorum libello Synodico apud Theodoretum (Lib. 5, cap. 9) constat. Suppliciter enim ab eodem Pontifice suorum decretorum confirmationem postularunt, maxime quantum ad Timothei Episcopi Apollinaristae exauctorationem; quemadmodum ex ipsis Damasi litteris ad Orientales Episcopos missis patet (apud Theodoretum, Lib. 5, cap. 10). « Quod vestra charitas, inquit Pontifex, debitam Sedi Apostolicae reverentiam tribuit, filii honoratissimi, vobis ipsis quoque maximo sano honori est... Itaque quid est, quod abdicationem Timothei a me rursus requiratis, qui etiam hic iudicio Sedis Apostolicae, Petro quoque Episcopo Alexandriae praesente, abdicatus est, una cum magistro suo Apollinari, qui item in die iudicii debitas poenas, et supplicia persolvet? ». Patres itaque oecumenici Concilii secundi hanc doctrinam professi sunt, Romanorum Pontificum auctoritati esse decreta fidei a Conciliis generalibus condita recognoscere, ac de illis ultimum, ac definitivum iudicium ferre; quod idem est ac profiteri Romanos Pontifices infallibiles prorsus esse, quando dogmata fidei credenda Ecclesiae proponunt. Hanc vero eo tempore universalem fuisse in Ecclesia apud Catholicos sententiam ex celebri Hieronymi facto evidentissimo confirmatur (Epist. alias 57, num. 14 Hieronymi ad Damasum Papam). Quaestio de tribus Hypostasibus Antiochiae, ubi per id temporis aderat Hieronymus, maxima animorum contentione fervebat, ac in tres partes divisam Ecclesiam Antiochensem tenebat, aliis catholico trium hypostasum nomen, aliis haeretico sensu accipientibus. Hieronymus de communione ac unitate fidei sollicitus ita ad S. Damasum Pontificem scribit: « Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudinis tuae, id est Cathedrae Petri communione consocior; super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in hac arca non fuerit, peribit regnante diluvio ». Et infra: « Non novi Vitalem, Metalium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est qui Christi non est, antichristi est ». Fatetur enim se unum scire, Ecclesiam per fidem Romanae Cathedrae

fundatam esse, adeoque ad dignoscendum quid in controversiis Fidei sit sentiendum, consulere statuit Romanam Cathedram, cuius fides est conspectus fundamentalis catholicae Ecclesiae, cui omnino est adhaerendum, ita ut extra catholicam Ecclesiam sit, qui ab ea fide recedit: adeoque S. Damasum adivit, eique trium hypostaseon quaestionem proposuit, et ab eo petiit, ut resoluta infallibili auctoritate controversia sibi manifestaret, quid esset sentiendum, et cum qua e tribus illis Antiochiae partibus, communicare posset. Eo itaque saeculo haec erat catholicorum persuasio, solam Romanam Ecclesiam a Christo Domino auctoritatem obtinuisse decernendi, quid sit de fide credendum, cui si quis non adhaereat, ad Christi Ecclesiam amplius non pertineat.

Hanc supremam in fidei causis definiendis irreformabiliter auctoritatem, antequam Concilii Constantinopolitani Primi Patres eam asseruissent, exercuit Summus Pontifex Damasus, quando in Romana Synodo, anno circiter 373, damnatis Apollinari eiusque primario discipulo Timotheo, utriusque errores anathemate confixit. Orientales enim Episcopi, iuxta antiquam et Apostolicam traditionem Sedis Apostolicae definitivum iudicium in fidei controversiis exquirendi, ad Damasum de Timothei erroribus scripserunt, ut in eum damnationis sententiam pronunciaret. Id ex ipsa Damasi Epistola ad Orientales patet, quam refert Theodoretus (Hist. Eccl. Lib. 5, Cap. 10). In ea haec Pontificis verba leguntur: « Quod vestra charitas debitam Sedi Apostolicae reverentiam tribuit, filii « honoratissimi, vobis ipsis quoque maximo sane honori est. Nam « tametsi in Sancta Ecclesia, in qua Sanctus Apostolus sedens nos « docuit, quo pacto illius gubernacula, quae suscepimus, tractan- « da sint, nobis primae partes deferantur; tamen confitemur, nos « illo dignitatis gradu longe inferiores esse ». Insuper in gemina Synodo Romana haeresim Macedonianam damnavit, antequam ab aliquo oecumenico Concilio confixa fuisset, ac de ea ad Episcopos Illyrici Epistolam dedit, quae extat apud Theodoretum (*Hist. Eccl. Lib. 2, Cap. 22*), ubi *Spiritum Sanctum unam eamdemque cum Patre et Filio substantiam, et subsistentiam habere* asseritur. In altera autem Epistola relata ab eodem Theodoreto (*Hist. Eccl.*

Lib. 5, *Cap.* 11), anathematismi lati adversus Macedonianos, eorumque errores referuntur: « Anathematizamus, inquit, Macedo-« nianos, qui de Arii stirpe venientes, non perfidiam mutaverunt, « sed nomen... Si quis dixerit Spiritum Sanctum facturam, aut per « Filium factum, anathema sit... Si quis non dixerit Patris, et Filii « et Spiritus Sancti unam divinitatem, potestatem, maiestatem, po-« tentiam, unam gloriam, dominationem, unum regnum, atque unam « voluntatem, ac veritatem, anathema sit. » Fidei autem formulam, in qua haec anathematizatur haeresis, ad Antiochenum Episcopum Paulinum misit, ut sub excommunicationis poena ab iis omnibus subscriberetur, qui suspicionem hisce erroribus adhaerendi iniiciebant. Tandem Constantinopolitanum primum Concilium a solis Orientalibus Episcopis celebratum, ideo uti oecumenicum receptum est ab Ecclesia, quia S. Pontifex Damasus illud confirmavit, ut ipse Photius (*in Lib. de Synodis*) fatetur: « Quibus haud multo post, et « Damasus Romae Episcopus eadem confirmans, suoque consensu « comprobans, accessit ».

At saeculo quinto splendidiora sunt erga Romanorum Pontificum, in rebus fidei definiendis, supremam auctoritatem testimonia venerationis exhibita ab Oecumenico Concilio Ephesino, in quo praesertim totius Orientis Episcopi convenerunt. Haeresi Nestoriana orta, in Romana Synodo eam, eiusque auctorem damnavit S. Caelestinus Romanus Pontifex, ac S. Cyrillo Alexandrino Patriarchae vices suas commisit, ut si Nestorius in suo errore pertinax fuisset, eum à communione removeret. Haec sunt Caelestini verba in Epistola ad Cyrillum missa (1. *Parte Concilii Ephesini Cap.* 15): « Quamobrem Nostrae Sedis auctoritate adscita, nostra-« quo vice et loco cum potestate usus, eiusmodi non absque ex-« quisita severitate, sententiam exequeris; nempe nisi decem die-« rum intervallo ab huius nostrae admonitionis die numerandorum, « nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet... illi-« co Sanctitas tua illi Ecclesiae prospiciat. Is vero modis omnibus « se a nostro corpore segregatum esse intelligat. » Postea convocato Ephesi Oecumenico Concilio, Episcopi in eo congregati Caelestinum honorifico Patris nomine appellant, Eius Epistolam qua Ne-

storius damnatur, aequa veneratione cum sacris canonibus prosequuntur, ac ad anathematizandum Nestorium *ex mandato Pontificis se coactos esse* profitentur. Ita enim in Actione 2 loquuti sunt: « Coacti (in Graeco textu, necessario compulsi) per Sacros Canones, et Epistolam Sanctissimi Patris nostri, et Comministri Caelestini Romanae Ecclesiae Episcopi, lacrymis subinde perfusi, « ad lugubrem hanc contra eum sententiam venimus. » Neque mirum esse debet, Concilii Patres tantam reverentiam Pontificis mandatis exhibuisse, ut se coactos esse existimaverint ad Nestorium eo vel maxime damnandum, quia cum prius Caelestinus damnaverat; etenim in Romano Pontifice Divi Petri Primatum, ac fidei supremum et infallibile magisterium venerabantur, eumque ut Apostoli locum tenentem reverebantur, sicuti apparet ex interlocutione Philippi Presbyteri, et Sedis Apostolicae Legati, quam nemine Patrum reclamante, habuit Actione 3:

« Nulli dubium, imo saeculis omnibus notum est, quod Sanctissimus Beatissimusque Petrus Apostolorum Princeps et Caput, fideique columna, et Catholicae Ecclesiae fundamentum, a Domino « nostro Iesu Christo Salvatore humani generis, ac Redemptore, « claves Regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi « data est, qui ad hoc usque tempus, et semper in suis Successoribus vivit, et iudicium exercet. Huius itaque secundum ordinem « Successor, et locum tenens Sanctus Beatissimusque Papa Noster « Caelestinus Episcopus nos ipsius praesentiam supplentes ad hanc « Synodum misit. » Quapropter Pontifex Maximus Caelestinus in Epistola ad Sanctam Synodum Ephesinam (3 Part. Concilii Ephesini, Cap. 20) ait: « Longius quidem sumus positi, sed per sollicitudinem totum propius intuemur. Omnes habet Beati Petri Apo« stoli cura praesentes ». Suis autem Legatis indixit, ut nullam disceptationem admitterent, atque ab omnibus essent ea observanda ac retinenda, quae a se fuerant definita: « *Ad disceptationem si fuerit deventum, eos de eorum sententiis diiudicare debetis, non subire certamen* » (Christian. Lupus, C. 236).

Ad compescendas nequissimas turbas quae per totum Orientem fuerant excitatae propter immania facinora, opera praesertim Dio-

scori Patriarchae Alexandrini in S. Flavianum Patriarcham Constantinopolitanum in latrocinio Ephesino commissa, auctoritate S. Leonis Papae Oecumenica Synodus Chalcedone convocata fuit. In Epistola quam ad Patres misit Pontifex, non quid ad examen esset revocandum, sed quid ab omnibus absque haesitatione esset de fide retinendum, proposuit. Haec sunt eius verba: « Nunc in Vicariis meis « adsum, qui dudum in fidei praedicatione non desum. Ut qui non « potestis ignorare quid ex antiqua traditione credamus, non possi- « tis dubitare quid cupiamus. Unde, fratres carissimi, reiecta peni- « tus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana « errantium infidelitas conquiescat. Non liceat defendi, quod non « licet credi; cum secundum evangelicas auctoritates, secundum « propheticas voces Apostolicamque doctrinam, plenissime et luci- « dissime per litteras, quas ad beatae memoriae Flavianum Episco- « pum misimus, fuit declaratum, quae sit de Sacramento Incarna- « tionis Domini nostri Iesu Christi pia, et sincera confessio. » In actione prima huius Concilii de ipsius Dioscori persona, ac de gestis in latrocinio Ephesino pertractatum est; plura adversus Dioscorum prolata fuerunt accusationis capita, inter quae illud praecipuum quod maiestatem Romani Pontificis laesisset, Synodum contra traditionem, et Ecclesiae consuetudinem celebrando, uti ex interlocutione Lucentii Apostolici Legati deducitur. Hinc S. Leonis Legati, qui eius nomine Concilio praesidebant, adversus Dioscorum sententiam protulerunt atque ita tota consentiente Synodo, ac supremam Pontificis auctoritatem agnoscente, iurisdictionis Primatum in Concilio Oecumenico exercuit Leo, cuius nomine et auctoritate in Patriarcham depositionis sententia fuit pronuntiata. Exactis omnibus in Actione prima, quae ad latrocinium Ephesinum respiciebant, cum in secunda Actione de ipso dogmate esset agendum, petita a Iudicibus forma, qua omnis circa fidem dirimeretur contentio, statim Concilii Patres acclamarunt, illam sufficere *formam* quam S. Leo in dogmatica Epistola ad Flavianum exsposuerat: « Emer- « serunt quae ad Eutychen pertinebant et super his forma data est « a Sanctissimo Archiepiscopo Romanae Urbis, et sequimur eam, « et Episcopi omnes subscripsimus. Ita omnes dicimus: sufficiunt

« quae exposita sunt: aliam expositionem non licet fieri ». Postea lecta Epistola S. Leonis eam statim nullo examine instituto susceperunt Patres, eadem reverentia ac si Apostolus Petrus eam scripsisset, dicentes: « *Anathema ei qui non ita credit; Petrus per Leonem ita loquutus est* ». Et Actione quarta iterum clamaverunt Patres: » *Qui non consentit epistolae Sanctissimi Episcopi Leonis, haereticus est*. (Tom. 4 Concil. Edit. Venet. col. 1207; col. 1235; col. 1403 b.). Equidem illustriora testimonia his desiderari non possunt, ex quibus luculenter apparet, quo cordis obsequio, atque obedientia dogmaticae Summi Pontificis definitiones sint excipiendae, ac nemini licere absque fidei iactura de iis dubitare. Tandem Patres rogantes S. Leonem, ut Concilii acta auctoritate sua confirmare velit, novum addunt de hac suprema auctoritate testimonium; etenim in relatione Synodi ad S. Leonem ita dicunt: « Rogamus « igitur, et tuis Decretis nostri honora iudicium, et sicut nos Ca- « piti in bonis adiicimus consonantiam, sic et summitas tua filiis « quod decet, adimpleat ». Attamen ut magis eluceat hac super re tum Occidentalium tum Orientalium Ecclesiarum consensus, huc revocanda est fidei professionis formula, post Acacianum schisma a Summo Pontifice Hormisda, Saeculi sexti initio, proposita, quam superius retulimus.

Septimo autem saeculo praeclarissimum argumentum praebent ea quae in sexta oecumenica Synodo, ab Agathone Summo Pontifice convocata, ac Constantinopoli celebrata, gesta sunt. In ea lecta est Epistola Summi Pontificis ad Imperatorem Constantinum Pogonatum, eamque nedum summa veneratione amploxi sunt Patres, sed sententiis quoque in ea contentis universali consensione adhaeserunt. Scribit itaque Agatho praedecessores suos Summos Pontifices, ob privilegium Petro, eiusque successoribus a Christo tributum, numquam in errorem adversum fidem incidisse; ac fidei doctrinam ab ipsis traditam sequutam fuisse Catholicam Ecclesiam sive dispersam, sive in oecumenicis Conciliis congregatam. Ita enim Imperatorem alloquitur: « Porrigere dignemini Clementissimam dexteram « Apostolicae doctrinae, quam cooperator piorum laborum vestro- « rum Beatus Petrus Apostolus tradidit; non ut sub modio conda-

« tur, sed tuba clarius in toto orbe praedicetur: quia eius vera con-
« fessio, a Petro de Coelis est revelata, pro qua a Domino omnium
« Beatus esse pronunciatus est Petrus, qui et spirituales oves Ec-
« clesiae ab ipso Redemptore omnium terna commendatione pascen-
« das suscepit; cuius annitente praesidio, haec Apostolica eius Ec-
« clesia nunquam a via veritatis, in qualibet erroris parte deflexa
« est; cuius auctoritatem, utpote Apostolorum Principis, semper
« omnis Catholica Ecclesia, et universales Synodi fideliter ample-
« ctentes, in cunctis secutae sunt; omnesque venerabiles Fratres
« Apostolicam eius doctrinam complexi; per quam et probatissima
« Ecclesiae Christi luminaria claruerunt; et Sancti quidem Docto-
« res orthodoxi venerati, atque secuti sunt. » Hoc autem divinum privilegium iugiter in Romanis Pontificibus permanere, ex ipsis Christi verbis demonstrat, ita ut doctrina ab ipsis tradita fidei regula sit, a cunctis fidelibus sectanda. « Haec est enim, inquit, fidei
« regula, quam et in prosperis, et in adversis, vivaciter tenuit, ac
« defendit haec spiritualis Mater vestri tranquillissimi Imperii Apo-
« stolica Christi Ecclesia, quae per Dei Omnipotentis gratiam a
« tramite Apostolicae traditionis nunquam errasse probabitur, nec
« haereticis novitatibus depravata succubuit; sed ut ab exordio fi-
« dei Christianae percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi
« Principibus, illibata fine tenus permanet, secundum ipsius Do-
« mini Salvatoris divinam pollicitationem, quam suorum discipulo-
« rum Principi in sacris Evangeliis fatus est: *Petre, Petre, in-*
« *quiens, ecce satanas expetivit vos, sicut qui cribrat triticum: Ego*
« *autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando*
« *conversus, confirma Fratres tuos.* Consideret itaque vestra tran-
« quilla Clementia, quoniam Dominus et Salvator omnium, cuius fi-
« des est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum
« fratres suos admonuit, quod Apostolici Pontifices, meae exiguita-
« tis praedecessores, confidenter fecisse semper cunctis est cogni-
« tum; quorum et pusillitas mea, licet impar et minima, pro susce-
« pto tamen divina dignatione ministerio pedissequa cupit existere.»

Apertissime itaque docet Agatho, Summum Pontificem Petri in primatu successorem a Christo Domino supremum fidei magistrum

fuisse constitutum, a quo, in docendo quid sit de fide sentiendum, ex Christi promissione omne abest errandi periculum. His autem principiis consentanea sunt quae in eadem epistola ab eodem decernuntur. Etenim legatos suos misit ad oecumenicum Concilium, ita tamen instructos, ut neque minuendo, neque mutando, neque augendo circa ea, quae a se definita sunt in Synodo Romana adversus Monotheiitarum haeresim, appareat varietas; sed ut ab omnibus ea quae iam sunt definita teneantur. « Licentiam, inquit, eis sive au« ctoritatem dedimus, apud tranquiliissimum vestrum imperium, « dum iusserit eius Clementia simpliciter satisfaciendi, in quantum « eis dumtaxat iniunctum est, ut nihil profecto praesumant augere, « minuere, vel mutare: sed traditionem huius Apostolicae Sedis, ut « praedecessoribus Apostolicis Pontificibus instituta est, simplici« ter enarrare. » Ipse itaque Pontifex Synodo fidem dictavit, declarans se ea potestate uti, cui privilegium non errandi competit, et cui tota Ecclesia, et universae Synodi obsequi tenentur; ac propterea omnes Ecclesias, et oecumenica Concilia semper quae ab Apostolica Sede fuerant definita, fideliter amplexa esse. Qui autem in suis litteris suae Sedis infallibilitatem obiecit ac aliorum Conciliorum exempla refert, quae Romanorum Pontificum definitiones, tamquam si ore Petri prolatae essent, complexa fuerant, ac nihil iubet in suis decretis immutandum, satis ostendit, se nolle suas definitiones correctioni Synodi subditas esse: nemo autem unquam Patrum illius Synodi dubitare ausus est, Agathonem, ita legem Oecumenicae Synodo praescribendo, Sedis Apostolicae potestatis limites praetergressum fuisse. Ex his itaque patet quam longe a veritate absit, quod a Bossueto (Def. p. 2, Lib. 12, Cap. 14) aliisque assertum est, hanc Synodum Agathonis dogmaticam Epistolam suo examino discussisse, ac ita suam auctoritatem de ea iudicandi demonstrasse.

At quae adduximus clariora evadunt, si cum iis conferantur quae in alia Epistola Agathonis et suae Romanae Synodi, ad Concilium sextum scripta inveniuntur. In antecessum exponunt, Apostolicam Sedem erroris labe nunquam foedatam fuisse, utpote quae inerrantiae privilegio praedita est: « Lumen Apostolicae fidei splendidissi-

« mum, quod ex veri luminis fonte tamquam de radio vivifici ful-
« goris per ministros Beatum Petrum et Paulum Apostolorum Prin-
« cipes eorumque discipulos, et Apostolicos successores, gradatim
« usque ad nostram parvitatem, Dei opitulatione, servatum est, nul-
« la erroris tetra caligine tenebratam, nec falsitatis nebulis confoe-
« datam... Haec est perfecta nostra scientia, ut terminos Catholi-
« cae atque Apostolicae fidei, quos usque adhuc Apostolica Sedes
« Nobiscum et tenet, et tradit, tota mentis custodia conservemus ». Hoc praemisso fundamento Legatos suos ad Synodum mittere dicunt, ut Apostolicae Sedis fidei definitionem offerant, et non ut aliquid incertum, sed ut omne certum et immutabile habeatur: *Non tamen tamquam de incertis contendere, sed ut certa atque immutabilia compendiosa definitione proferre.* Tandem Synodo sua confessione exposita ita concludunt: « Quicumque proinde Sacerdotum
« haec, quae in hac nostrae humilitatis confessione continentur,
« nobiscum sincere praedicare desiderant, et nostrae Apostolicae fi-
« dei concordes, ut consacerdotes et comministros eiusdem fidei, ut
« spirituales Fratres, et Coepiscopos nostros suscipimus. Qui vero
« haec confiteri noluerunt, ut infestos Catholicae et Apostolicae
« confessioni, perpetuae condemnationis reos esse censemus. Nec
« aliquando tales in nostrae humilitatis collegio, nisi correctos su-
« scipere patimur ».

Hanc auctoritatem dogmaticum iudicium infallibile ferendi, divino privilegio fundatam, ac Patribus obiectam, quam in Oecumenicam Synodum Pontifex exercuit, ab eadem Synodo agnitam fuisse ostendimus ex ipsius Concilii Epistola ad Agathonem missa, in qua eadem reverentia eam Patres se recepisse tradunt, ac si a Petro Apostolo dictata fuisset. « Litteras, aiunt, a Vestra Beatitudine ad piissimum
« Imperatorem missas, ut a summo Apostolorum vertice divino
« perscriptas agnoscimus, per quas exortam nuper multiplicis er-
« roris haereticam sectam depulimus. » In littera autem ad Leonem Agathonis successorem scripta clarius testantur, huius Pontificis epistolam veluti a Petro dictatam suscepisse, cui omnimoda subiectio ac obedientia est ab omnibus praestanda: « Velut ipsum Principem
« Apostolici chori, primaeque cathedrae Antistitem Petrum contuiti

« sumus, mentium nostrarum oculis totius dispensationis mysterium « divinitus eloquentem. . . Nam ipsum totum Christum nobis sa- « crae eius litterae disserendo exprimebant, quas omnes libentibus « animis sincereque accepimus, et veluti ipsum Petrum ulnis animi « suscepimus ». Tandem in Sermone acclamationis ad Imperatorem ita Synodi Patres loquuntur: « Summus nobiscum concertabat Apo- « stolorum Princeps; illius enim imitatorem, et sedis successorem « habuimus fautorem, et divini sacramenti mysterium illustrantem « per litteras. Confessionem tibi a Deo scriptam illa Romana anti- « qua Civitas obtulit, et dogmatum diem ex vespertinis partibus « extulit. Charta et atramentum videbatur, et per Agathonem Pe- « trus loquebatur. »

Miror equidem, quomodo ex iis quae circa Agathonis epistolam in sexta Synodo gesta sunt, argumentum aliquod adversus verita- tem, quam nos defendimus, depromi possit. Ex his enim patet Con- cilium testimonia in Agathonis epistola conscripta cum aliis Codici- bus contulisse, non quia licere sibi putaret eam examini subiicere, sed solum ut cum testimoniis Patrum in aliis codicibus conten- tis collata, doctrinae veritas in ea definita sub omnium oculis cla- rius exponeretur; examen igitur ad maiorem intelligentiam di- ctorum institutum fuerat, non vero quia de his, quae a Pontifice definita fuerant, dubitaretur. Neque hoc factum singulare esse dicimus in Ecclesiastica Historia; ipsa enim particularia Conci- lia nedum Summorum Pontificum fidei decreta, sed et Concilio- rum generalium acta ad examen revocarunt, ea cum sacris Scri- pturis, ac testimoniis Patrum conferendo; uti factum est ab Episco- pis Provinciae Mediolanensis quoad epistolam dogmaticam S. Leo- nis, et a Concilio XIV Toletano, in quo (Can. 2 et 3) profitentur Patres, acta huius sextae Synodi cum praecedentibus comparasse, et ideo suam probationem addidisse. Nemo quidem dicet Episcopos in Summum Pontificem, et Concilium particulare in Oecumenicam Sy- nodum auctoritatem, in hoc instituendo examine, usurpasse; et omni- bus compertum est, id non semel factum fuisse ut dogmatum veri- tas clarius elucesceret, ac faciliori ratione silentium dissidentibus haereticis imponeretur. At Bossuetus (Defens. part. 2, lib. 12,

cap. 59) dicit: Patres Concilii Toletani nondum sextam Synodum uti Oecumenicam agnoscebant: ideoque iuridico examini eius acta subiecerunt. Sed respondeo: 1. Patres Toletani ignoraro non poterant sextam Synodum a Leone II Agathonis successore adprobatam fuisse, ac propterea ab omnibus uti oecumenicam habendam esse; etenim Leo (epist. 2) ad Patres scribens, eos de actis, et definitionibus sextae Synodi edocet; integra quoque ipsius acta se missurum dicit, si ita exoptassent. Sed esto quod oecumenicitatem sextao Synodi ignorassent; optime tamen noverant quae a summo Pontifico definita fuerant, quibus Synodus sexta subscripserat. Quis autem dicet particulares Synodos auctoritatem habero ad trutinam revocandi ea quae dogmatice a summis Pontificibus definita sunt, et posse iis refragari, praesertim si sibi consentientes coeteras habeant Ecclesias? Nemo siquidem qui catholicus esse velit, haec asserere audebit. Ex hoc igitur exemplo ostenditur ad examen aliquid revocare non semper esso auctoritatis, ac superioritatis indicium.

Haec aptari quoque possunt iis quae a Bossueto aliisquo obiiciuntur quoad dogmaticam S. Leonis epistolam, quam dicunt a Chalcedonensi Synodo examini fuisse subiectam; ac proinde Patres Chalcedonenses existimasse, Romani Pontificis iudicium, ultimum ac irreformabile non esse. Sed ex his quae superius in medium attulimus, manifeste liquet qua ratione Episcopi, qui post lectam Epistolam conclamarunt: « Haec Patrum fides, haec Apostolorum fides. Omnes ita credimus, Orthodoxi ita credimus, Anathema ei qui ita non credit, Petrus per Leonem ita locutus est », eamdem eum doctrina Patrum ac praecedentium Conciliorum contulerant; nempe non quia de veritato eorum, quae a Summo Pontifice definita fuerant, dubitarent, sed ad maiorem dictorum intelligentiam, et ut dissentientibus facilius silentium imponerent.

Quae saeculo octavo in septima Oecumenica Synodo, adversus Iconomachos gesta sunt, veritatem, quam defendimus, confirmant. In epistola ad Imperatorem Constantinum, et Imperatricem Irenem scripta, exigit Adrianus primus ut in antecessum quae adversus sacrarum Imaginum cultum a pseudo-Synodo fuerant decreta, dam-

nentur: « In primis pseudosyllogum illud, quod sine Apostolica Se-
« de enormiter, et irrationabiliter, nequiterque contra Sanctorum
« venerabilium Patrum traditionem, de Sacris Imaginibus actum
« est, anathematizetur praesentibus missis nostris ». Postea addit, Petrum per suos successores Ecclesiae principatum adhuc exercere: « Cuius sedes in toto orbe terrarum primatu fungens, caput omni-
« um Dei Ecclesiarum constituta est. Et quemadmodum Beatus Pe-
« trus Apostolus per Domini praeceptum regens Ecclesiam, nihilo-
« minus subsequenter, et tenuit semper, et retinet principatum ». Tandem asserit hanc Apostolicam Romanam Sedem auctoritate potiri unamquamque Synodum confirmandi: « Quod praeceptum uni-
« versalis Ecclesiae nullam magis oportet exequi Sedem, quam
« primam, quae unamquamque Synodum et sua auctoritate confir-
« mat, et continua moderatione custodit ». Lecta autem in Actione secunda dogmatica ad Tharasium Patriarcham Constantinopolitanum Adriani Epistola, Apostolici Legati aiunt: « Dicat nobis
« Sanctissimus Tharasius Patriarcha Regiae civitatis, si consentit
« literis Sanctissimi Papae Senioris Romae Adriani, an non? ». Respondit Tharasius: « Apostolus cum Romanis scriberet, ap-
« probans studium sincerae fidei eorum ait: *Fides vestra annun-*
« *tiatur in universo mundo*. Hoc testimonium sequi necessarium
« est, et inconsulto agit qui huic conatur resistere ». Iterum Legati Apostolici a Synodo quaesiere, an Literas Adriani susciperent? Respondit S. Synodus: « Sequimur, et suscipimus, et admittimus. » Haec testimonia erga Romanae Sedis infallibilitatis privilegium apertissima sunt, nec aliquo indigent commentario.

Quid vero dicam de perspicuo illo testimonio ab Oecumenico Concilio Octavo, Saeculo nono, praestito erga Pontificium hoc privilegium? In ipso Synodi exordio singuli Patres fidei formulae a Pontificiis Legatis oblatae subscripserunt, in qua praeter Photii condemnationem, ac Ignatii in Sedem Constantinopolitanam restitutionem, huius Pontificum Romanorum privilegii ipsis verbis, quibus in sua formula usus est Hormisdas, enucleata declaratio continebatur. Actione autem tertia dicunt Patres, Romanos Pontifices, ex Christi institutione, totius Ecclesiae medicos fuisse constitutos, ac vi

Christi promissionum nunquam in fidei doctrina tradenda a veritate esse defecturos; atque ita eorum auctoritate omnes haereses fuisse peremptas. En eorum verba: « Eorum vero, quae in membris « sunt Christi, et Dei Salvatoris omnium nostrum Capitis, et Spon- « sae catholicae et Apostolicae Ecclesiae, unum et singulare praecel- « lentem, et catholicissimum Medicum, ipse Princeps summus, et « fortissimus sermo, et ordinator et curator, et solus ex toto magi- « ster Deus omnium, produxit, videlicet tuam fraternam sanctitatem, « et paternam almitatem, propter quae dixit Petro Magno et summo « Apostolorum: Tu es Petrus... et ideo ab olim et prisco tempore in « exortis haeresibus, et praevaricationibus eradicatores, et perem- « ptores malorum zizaniorum, et labefactorum, et penitus insana- « biles aegrotantium membrorum, multi multoties facti sunt, eo- « rum qui sanctitatem, et summam Paternitatem tuam illic prae- « cesserunt, successores scilicet Principis Apostolorum, et illius « zelum in fide, quae secundum Christum est imitantes, et nunc no- « stris temporibus Beatitudo tua digne tractavit datam sibi a Chri- « sto potestatem ». Canone autem secundo decreverunt Patres, Romanum Pontificem tamquam Spiritus Sancti organum habendum esse, ac ideo omnem obedientiam eidem esse praestandam: « Obe- « dite praepositis vestris, et subiacete illis; ipsi enim pervigilant « pro animabus vestris, tamquam rationem reddituri: Paulus ma- « gnus Apostolus praecipit. Itaque Beatissimum Papam Nicolaum « tamquam organum Spiritus Sancti habentes, nec non et San- « ctissimum Adrianum Papam Successorem eius, definimus, atque « sancimus etiam omnia, quae ab eis synodice per diversa tem- « pora exposita sunt, et promulgata, tam pro defensione et statu « Constantinopolitanorum Ecclesiae, . . . quam etiam pro Photii . . . « explusione, servari semper et custodiri ». Alia quoque ex hac Synodo deprompta allegari possent documenta, quae brevitatis causa omittimus.

Haec quae huc usque adduximus, et alia plura ex historia posteriorum saeculorum quae possent in medium afferri, satis abunde demonstrant, doctrinam de infallibilitate Romanorum Pontificum in iis decernendis quae ad fidem et mores spectant, non unius aut

duorum saeculorum, sed in una serie omnium, semper Ecclesiam non solum Occidentalem, verum etiam Orientalem tenuisse, seu totam Ecclesiae traditionem constanter eam proclamasse. Quapropter veritatem hanc fassus est etiam Bessarion Patriarcha Constantinopolitanus (qui antea schismati Graecorum erat addictus, et in Florentina Synodo ad Catholicam rediit unitatem) in Epistola Encyclica, quam ad omnes Archiepiscopos sui Patriarchatus misit, in qua ita loquitur: « Si Doctorum nostrorum libros evolveritis, invenietis « Romanam Ecclesiam supra ceteras omnes potestatem habere, et « ita universae praeesse Ecclesiae, ut absque eius auctoritate nulla « prorsus Ecclesiastica quaestio solvi, nullum dogma concludi pos« sit, aut debeat... Haec est, quae fidem Petri tenet, et praedicat: « haec sola est, adversus quam portae inferi non praevalebunt ». Idipsum quoque agnovit Iosephus Episcopus Graecus Methonensis, qui in Responsione ad libellum Marci Ephesini ita eum perstringit: « A te porrro emendari Romanam Ecclesiam nil opus erat. Nam il« la cunctarum est gubernatrix Ecclesiarum, et aegrotantibus Ec« clesiis peritissime medetur, cum potestatem a Christo accepit re« gendi alias, et gubernandi, non ut ipsa confirmetur ab aliis. Et tu, « inquit Salvator ad Petrum, aliquando conversus confirma fratres « tuos: non dixit, confirmare a fratribus tuis, sed confirma ».

ARTICULUS IV.

Argumenta ex ratione theologica petita.

Argumentis hactenus a nobis expositis hoc quoque addi potest, ex huius veritatis nexu cum aliis revelatis veritatibus desumptum. Huiusmodi fidei dogmata sunt: 1. una est Christi Ecclesia, in qua honoris ac iurisdictionis Primatum a Christo Domino collatum obtinent Romani Pontifices Petri successores: 2. Ecclesia Christi a vera fide deficere non potest: 3. qui cum Catholica Ecclesia, ac eius capite Romano Pontefice non sit communionis vinculo copulatus, aeternam salutem non consequitur.

Haec autem fidei dogmata ita cum veritate doctrinae docentis, Petrum eiusque successores Romanos Pontifices in fidei ac morum controversiis definiendis a Christo Domino fuisse infallibilitatis privilegio donatos, connectuntur, ut nisi eadem fidei divinae certitudine hoc postremum agnoscatur, illa quoque dogmata sarta tectaque manere non possint. Profecto Christus Dominus unam voluit Ecclesiam constituere, in qua eiusdem fidei professione, et charitatis vinculo omnes copularentur fideles, et ad hanc servandam ac custodiendam unitatem usque ad mundi exitum, Primatum honoris ac iurisdictionis, soli Petro ac Romanis Pontificibus eius successoribus tradidit, ut in iis tamquam in centro omnes peculiares unirentur Ecclesiae. Atqui ne dicamus Primatus institutione Christum Dominum non satis unitatis bono consuluisse, imo gravissimo deficiendi a vera fide periculo Ecclesiam totam obnoxiam fecisse, quod Divinae sapientiae ac providentiae repugnaret, dicendum omnino est hoc privilegio Primatum exornasse, quo Petrus eiusque successores Romani Pontifices ex cathedra definientes in rebus fidei et morum infallibiles essent, ac eorum dogmatica decreta essent prorsus irreformabilia. Enimvero cum ex vi et ratione Divini Primatus ad unitatem fidei et communionis conservandam, Romanus Pontifex omnes fideles cogere possit ad tenendam secum communionem et eamdem fidem, quam ipse et Ecclesia Romana profitetur, ita ut per haeresim et schisma ab unitate Ecclesiae Christi, quae ad assequendam aeternam salutem omnino est necessaria, abscissi sint qui a fide et communione Romanorum Pontificum deficiunt; hinc est omnino profitendum, eorum definitiones in rebus fidei et morum necessario infallibiles esse, ne si errori possent esse obnoxiae, ad assentiendum errori cogerentur omnes fideles; atque ita Ecclesia, praevalentibus portis inferi adversus eam, a vera fide deficeret, quod esset contra Christi promissiones. Omnes siquidem Apostolorum successores Episcopi oves eorum curae commissas docere, ac si aliquod scandalum contra fidei unitatem excitetur, etiam in fide confirmare tenentur; sed uni Petro, cui iurisdictionis Primatus fuit commissus, et eius in Primatu successoribus, cunctas oves omnesque Pastores in fide confirmandi est officium demandatum, ut

unitate verae fidei una servaretur Ecclesia, atque ideo iis tantum in definiendis fidei controversiis erat infallibilitas concedenda; si namque ipsi errarent in fide, tota in errorem traheretur Ecclesia; at si fide deficerent, qui peculiaribus praesunt Ecclesiis, non totam, sed aliquam tantum Ecclesiam in errorem inducerent. Quapropter vel dicendum est, verum de fide non esse quod vi ac ratione Primatus Summi Pontifices tamquam Petri successores cogere possint omnes fideles ad eamdam fidem et communionem secum retinendam, ut aeternam assequantur salutem, atque verum de fide non esse Ecclesiam a vera fide deficere non posse; vel omnino retinendum, esse quoque de fide Summos Pontifices in tradendis doctrinis circa res fidei et morum esse prorsus infallibiles, ita ut tutissime et absque ullo errandi periculo possint ac teneantur fideles, eorum dogmaticis decretis obedientiam praestare, ac interiori quoque intellectus et voluntatis affectu assentiri.

CAPUT II.

DILUUNTUR PRAECIPUAE DIFFICULTATES EX ECCLESIASTICA HISTORIA CONTRA DEMONSTRATAM VERITATEM DEPROMPTAE.

ARTICULUS I.

Argumentum ex Concilio Constantiensi depromtum refellitur.

In ipso huius elucubrationis exordio ideo testimonia Gersonis ac Maioris retulimus, qui inter catholicos primi sententiam infallibilitati Romanorum Pontificum in definiendis fidei, et morum controversiis adversantem propugnarunt, ut ex iis manifestum fieret neminem unquam catholicorum ante Constantiense Concilium absque haereseos nota in dubium revocare potuisse, Romanos Pontifices hoc divino gaudere privilegio a Christo Domino Petro eiusque successoribus tributo. Solum itaque post illud Concilium, perverse intellectum, eius auctoritate abducti nonnulli in hunc errorem inciderunt: quapropter in dirimendis difficultatibus, ex Ecclesiastica Historia, qui-

bus Pontificiae auctoritatis osores hanc divinam veritatem infirmare conautur, opportunius nobis videtur controversum ipsum eorum fundamentum ex auctoritate Concilii Constantiensis desumptum, ad examen revocare, ac nullius ponderis illud esse demonstrare.

Primum referenda sunt verba Decreti Sessionis quartae, in quinta Sessione repetita, quibus Concilia generalia Romanis Pontificibus praecellere constituitur; ex quo adversarii arguunt, eorum decreta de fide, et moribus irreformabilia non esse. Haec sunt Concilii verba: « Haec Sancta Synodus Constantiensis generale Concilium faciens, pro extirpatione praesentis schismatis, et unione, et reformatione Ecclesiae Dei in Capite, et in membris facienda, ad laudem Dei omnipotentis in Spiritu Sancto legitime congregata, ad consequendum facilius, securius, liberius, et uberius unionem, et reformationem Ecclesiae Dei statuit, et declarat, ut sequitur. Et in primis declarat, quod ipsa Synodus in Spiritu Sancto congregata legitime Concilium generale faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repraesentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cuiuscumque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his quae pertinent ad fidem, et extirpationem dicti schismatis, et reformationem generalem Ecclesiae Dei in Capite, et in membris ». Ex hisce Concilii verbis, Pontificiae auctoritatis adversarii inferunt, Summos Pontifices extra Concilium infallibilitatis privilegio, in definiendis fidei, et morum controversiis minime gaudere; etenim si generalis Concilii auctoritas est Summi Pontificis auctoritate praestantior, non huius, sed illius est supremum in rebus fidei iudicium ferre.

Ut haec difficultas diluatur, duo sunt a nobis demonstranda: 1.° Hoc Decretum a Concilio generali conditum non fuisse; 2.° Noluisse Patres Concilii Summorum Pontificum supremae auctoritati derogare, sed solum in iis gravissimis circumstantiis Ecclesiae unioni consulere.

Constantiensis Concilii decreta in Sessionibus quarta, et quinta edita haberi non possunt uti Concilii Oecumenici decreta, tum ex convocationis defectu, tum ex defectu repraesentationis universalis Ecclesiae, tum ex defectu approbationis Summi Pontificis. Ut

primum probetur prae oculis haec facta habenda sunt, quae historice narrantur praesertim a doctissimo Emmanuele Schelestrate, Bibliothecae Vaticanae Praefecto, in selectissimo Tractatu *de sensu, et auctoritate Decretorum Concilii Constantiensis,* edito post adhibitam omnem diligentiam in Actis, et gestis evolvendis huius Concilii, non iis solum quae typis vulgata sunt, verum etiam quae in Bibliotheca Vaticana manuscripta asservantur. Ad horrendum illud schisma extinguendum, quod ab exordio Pontificatus Urbani VI, ad solium Pontificale die 8 Aprilis 1378 evecti, usque ad annum 1417, totam Ecclesiam in duas partes diviserat, Cardinales ab utraque parte recedentes Pisas convenerunt, ibique Concilium celebrarunt; ad illud vero vocarunt et Gregorium XII, qui post Urbanum VI, Bonifacium IX, et Innocentium VII regebat Ecclesiam, quique iuramento se obstrinxerat Pontificatum renuntiandi, si alterius obedientiae Pontifex idem faceret; et Petrum de Luna, Benedictum XIII appellatum, Avenione electum in illius successorem, qui Clementis VII nomen assumpserat. Cum autem ambo illuc comparere noluissent, adversus utrumque Cardinales depositionis sententiam tulerunt, atque in Pontificem elegerunt, anno 1409, Petrum de Candia Ordinis S. Francisci, qui appellatus est Alexander V. Eo vita functo, anno 1410, in eius successorem elegerunt Balthassarem Cossa, Cardinalem Legatum Bononiensem, qui Ioannis XXIII nomen obtinuit. Hic anno 1413 in urbe Laudensi cum Sigismundo rege conventum habuit, eiusque consilio et exhortatione ad extirpandum schisma, et ad unionem obtinendam Concilium Constantiense in sequentem annum celebrandum indixit. Die 16 Novembris anni 1414 celebrata fuit prima huius Concilii Sessio, quin tamen aliquid de unione curanda in ea ageretur.

Convocatio itaque huius Concilii a Ioanne XXIII facta est, qui licet uti legitimus ac verus Pontifex haberi voluisset, ac erronea opinione existimasset Gregorium, et Benedictum ob depositionis sententiam adversus eos a Cardinalibus Pisis collectis latam iure e Pontificatu excidisse; attamen indubitatum est et nullam et irritam ob defectum iurisdictionis Cardinalium in Pontificem, sententiam illam fuisse; vivente enim adhuc et regnante legitimo Pontifice Gre-

gorio, novum, ac legitimum Pontificem Cardinales valide eligere non poterant; ac consequenter Ioannes XXIII inter legitimos Pontifices recensendus non est. Porro certissimum est Concilia generalia nonnisi a Summo Pontifice convocari posse: ergo ex ipso legitimae in Concilio cogendo auctoritatis defectu Concilium Constantiense eo tempore quo decretum illud conditum fuit, ut universale haberi non potest.

Secundo, quando Sessiones quarta et quinta celebratae sunt, certum est ob defectum repraesentationis universalis Ecclesiae Concilium illud generale adhuc non fuisse. Postquam Cardinales in Pisana urbe depositis e Pontificio solio Gregorio, et Benedicto, Ioannem XXIII elegerunt, Principes ac Episcopi in tres obedientias se diviserunt: alii Petri de Luna, seu Benedicti XIII partes sequebantur, alii Ioanni XXIII Petro de Candia seu Alexandri V successori obedientiam praestabant, ceteri vero constanter, ac indivulse Gregorio legitimo Pontifici adhaerebant. Tria vero in huius Concilii celebratione distinguenda sunt tempora. Primum est ab exordio Concilii usque ad Sessionem decimam quartam: eo tempore illi tantum Concilio interfuerant, qui existimantes Ioannem XXIII legitime Pontificium solium ascendisse, hunc sequebantur. Secunda Concilii periodus est, quando Sessio 14 habita est, in qua Gregorius non in manibus Concilii, quod legitimum nunquam agnoverat, sed Regis Sigismundi, Pontificatui renuntiavit; tunc qui eius partes tenuerant, Concilio se adiunxerunt. Tertia vero periodus est, quando Sessiones 31 ad 35 celebratae sunt, quia tunc tertiae obedientiae seu Benedicti XIII Praelati Concilio adhaeserunt. His eo itaque positis, quae a Schelestrate in dicta dissertatione certissimis documentis historicis probantur, palam fit, eo tempore quo Sessiones 4 et 5 celebratae sunt, Constantiense Concilium totam ac universalem Ecclesiam repraesentare non potuisse, quin imo tantum Praelati aderant obedientiae Ioannis, non autem ceteri; et hac de causa Gregorius, potius quam in manibus Episcoporum, quos uti legitimos Ecclesiae repraesentantes nunquam habuit, voluit in manibus Sigismundi Regis, in Sessione 14, Pontificatum cedere; et Praelati qui Benedicto obediebant, putantes illud Concilium legitimum

non esse ante eorum cum aliis coniunctionem, cum Sigismundo pactionem inierunt, ut nova ac legitima Concilii convocatio fieret. Eo igitur tertio tempore dici vere potest Constantiense Concilium, universam repraesentans Ecclesiam extitisse; quando nimirum trinae obedientiae Praelati simul copulati sunt.

Haec cum explorata haberet Cardinalis Turrecremata, qui Concilio illi interfuit, Lib. 2 Summae de Ecclesia cap. 99, tribus illis Concilii temporibus enumeratis, ita scribit: « Et fuimus nos tunc praesentes in minoribus constituti, pro quo solo tempore (tertio) convenientibus omnibus simul tribus obedientiis fuit certum dicere, quod universalis Ecclesia repraesentative congregata esset Constantiae. Nullus autem dubitat quod asserere, quod sola obedientia Ioannis faceret Concilium universale, universalem Ecclesiam repraesentans, esset temerarium, ac scandalosum aliis duabus obedientiis ». Et Eugenius IV immediatus Martini V successor, qui cum esset Cardinalis Gabriel Condulmerius Concilio interfuit, testimonium hac de re nobis praestat in Bulla *Moyses vir Dei*, qua decretum reprobat adversus ipsum a pseudo-Synodo Basileensi definitioni Concilii Constantiensis innixa editum, et ad hoc fundamentum evertendum, dicit, a scandalorum unius obedientiae ducibus decretum illud fuisse conditum; haec sunt eius verba: « Scandalorum Duces sessionem fecerunt, in qua quibusdam decretis, per unam tantum ex tribus obedientiis post recessum Ioannis XXIII Constantiae, Schismate tunc vigente editis, inhaerere se dicentes, tres propositiones, quas fidei veritates vocant protulerunt...... in hoc perniciosissimi, dum suam malignitatem sub veritatis fidei fuco colorant, Constantienso Concilium in malum et reprobum sensum retrudunt ». Et in Apologia contra Basileenses sic scribit: « Non dixit obedientia Gregorii, non Benedicti, quae Christianitatis pars modica non erat, ante tempus conventionis, plenarium fuisse Concilium, nec prius restituta, quasi Synodi Generalis plenaria auctoritate suscepit. Itaque oportuit ipsis convenientibus primo ab obedientia Gregorii, deinde ab obedientia Benedicti novum Concilium convocari, hincque ab universa Ecclesia concurrente, plenariae Synodi rem, et nomen accepit. Quod ergo ante illum articu-

lum ipsis a Patribus ibi considentibus actum est, universae Ecclesiae non debet adscribi, sed eis tantum, qui ibidem considebant, et unius tantum obedientiae Synodum faciebant. » Ex his testimoniis, aliisque quae huc afferri possent, facile evincitur, Decretum, de quo loquimur, ab unius obedientiae Patribus conditum fuisse, qui certo universam Ecclesiam repraesentare non poterant.

Neque omnes illius obedientiae Patres in eo condendo decreto convenerunt; id testatur Cardinalis Turrecremata, qui tradit plures doctissimos illius obedientiae Patres, illi declarationi consensum, aut assensum suum non praestitisse. Haec loc. citat. dicit: « In illorum determinatione non modo non intervenit Universalis « Ecclesia, sed obedientia una tantum, scilicet Ioanni XXIII, ut « dictum est, sed etiam non integro tota illa obedientia, quoniam « plures Patres doctissimi illius obedientiae illis non prestiterunt « consensum, aut assensum suum. Item nec in ipsa sua obedientia « vocatus Ioannes XXIII, quoniam cum post recessum suum a « Constantia Schaphusae constitutus audiret praefatam declaratio« nem conclusam Dominis Oratoribus Christianissimi Regis Fran« ciae visitantibus amaro animo conquestus est, falsa quaedam « et erronea adversus auctoritatem Summi Pontificis Romani de« creta per aemulos suos post recessum eius esse conclusa, etc. ». Id ipsum probatur ex ipsa historia eorum quae in iis Sessionibus gesta sunt. Hanc historiam diligentissime texuit Emmanuel Schelestrate in dicta Dissertatione ex omnibus manuscriptis Romae repertis, quorum catalogum refert, et ex aliis Codicibus servatis in Bibliotheca Caesarea Viennae, et Bibliotheca Salernitana prope Constantiam, et in ipsamet Lutetia Parisiorum. Hic doctissimus scriptor probat in Sessione 5, contradicentibus praecipuis Patribus obedientiae Ioannis, decretum constitutum fuisse. Concludimus itaque paucos illos Patres obedientiam Ioannis sequutos qui decretum condiderunt, repraesentare non potuisse universalem Ecclesiam.

Tertio tandem, ex defectu Pontificiae approbationis decretum illud nullius roboris est. Unitis in Concilio Constantiensi tribus obedientiis, plenarium Concilium evasit, ac postquam actum fuit inter Patres ex variis nationibus et Collegium Cardinalium de modo eli-

gendi Summum Pontificem, die 18 Octobris anni 1417 conventum est, ut una cum Cardinalibus sex Deputati ex singulis Nationibus suffragii iure gauderent: die vero 8 Novembris Conclave ingressi, post triduum in festo S. Martini, cum totius Orbis Christiani gaudio ac laetitia ad summum Pontificium solium Odonem Cardinalem de Columna evexerunt, qui Martini V nomen assumpsit. Eo itaque tempore plenarii Concilii nomen potuit Constantiense habere. Decreta igitur quae ante illud tempus, praesertim in Sess. 4, et 5, a Patribus unius obedientiae edita fuerunt, nullam vim et auctoritatem obtinere poterant, nisi postea ab ipso plenario Concilio, et praesertim a Summo Pontifice Martino V approbata fuissent. At neque Concilium plenarium, neque Martinus decretum illud de auctoritate Concilii supra Pontificem approbarunt, neque approbare poterant; ergo hoc decretum nullam vim habet et auctoritatem. Legatur Bulla Martini V et nullum invenietur verbum ex quo illius decreti approbatio erui possit. Martinus, sacro approbante Concilio, tantum in ea Bulla errores Ioannis Wicleffi et Ioannis Hus damnat, et ad finem Bullae catalogum ponit 45 errorum Wicleffi, et alium 30 Hus, et eos qui de haeresi suspecti sunt, de his interrogandos esse iubet, quapropter sola approbata dicenda est condemnatio a Patribus obedientiae Ioannis in Sessione 8 adversus Wicleffum et Hus decreta. Quod autem Concilium approbare, et credenda proponere noluerit omnia quae a Patribus illius obedientiae edita fuerint, manifestum quoque apparet ex verbis quibus concepta est sexta interrogatio, quae iubet eos qui suspecti sunt de haeresi, ita explorandos esse nimirum: « Ut credat quod illud, quod Sacrum Concilium Constantiense universalem Ecclesiam repraesentans, *approbavit* et *approbat*, in favorem fidei, et ad salutem animarum, quod hoc est ab universis Christifidelibus approbandum, et tenendum, et quod damnavit, et damnat, esse fidei et bonis moribus contrarium; hoc ab iisdem esse tenendum pro condemnato, credendum et asserendum ». Ne quis igitur praeceptum credendi, ac damnandi ad ea omnia quae olim in qualibet sessione Concilium damnaverat, se extendere erronee putaret, copulativis verbis usus est plenarium Concilium, ni-

mirum quae approbavit, et nunc in ea ipsa Martini V Constitutione in ultima Sessione edita approbat.

At Pontificiae auctoritatis detractores argumentum opponunt, quo Basileenses adversus Eugenium IV usi sunt in ea Synodali responsione, quae apud Binium habetur *(Tom. 4, part. 1, pag.* **139** *Conciliorum)*. Basileenses enim contendebant per actum Martini V censuram referentem, quam Constantiensis Synodus articulo 41 Wicleffi affixit, eiusdem quoque Concilii decretum de superioritate Concilii supra Pontificem fuisse approbatum. Articuli illius verba haec sunt: « Non esse de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias ». Huius articuli censura est: « Error est, si per Romanam Ecclesiam intelligat universalem Ecclesiam, aut Concilium generale, et pro quanto negavit primatum Summi Pontificis super alias Ecclesias particulares ». Hoc argumentum facile solvitur. Primo, in hac censura neque Ecclesia, neque Concilium seorsim a Romano Pontifice sumuntur, sermo enim ibi est de Romana et universali Ecclesia, quae Pontificem legitimum includit. Ex ea igitur censura solum probatur quod sit de necessitate salutis credere Ecclesiam universalem quae necessario Summum Pontificem eius caput includit, et Concilium generale legitime adunatum, universam repraesentans Ecclesiam, supremam potestatem habere; generale vero Concilium universam Ecclesiam repraesentare nequit, nisi sit a Summo Pontifice coactum ac confirmatum. Quod si vi illius censurae approbatae a Martino V ostendatur esse de fide Summum Pontificem supra singulas Ecclesias primatum gaudere, non autem supra universalem Ecclesiam et in Concilio generali congregatam; attamen cum ibi ita Romani Pontificis primatus supra particulares Ecclesias adstruatur, ut non negetur super universalem in Concilio congregatam Ecclesiam; vi illius censurae deduci non potest, Romanum Pontificem non esse Caput universalis Ecclesiae in Concilio congregatae.

Secundo, tantum abest ut plenaria Constantiensis Synodus a Martino V confirmata in illa Constitutione superioritatem Concilii supra Pontificem approbaverit, ut ne sibi illam contradixisse dicamus, con-

trarium, seu suprema in Concilium auctoritate Pontificem gaudere, apertissime docuerit. Etenim in ea Bulla praescribitur, ut de haeresi suspecti sub hac forma explorandi sint: « Utrum credat, quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, eius nomine proprio expresso, est successor Divi Petri habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei. » Ergo adstruit Concilium tamquam de fide Summi Pontificis supremam in Ecclesia Dei esse auctoritatem; at supremam in Ecclesia auctoritatem Pontifex non haberet, si Concilium generale, ut ab ipso contradistinctum, supra Papam esset; cum ea sit solum suprema auctoritas quae nemini subest. Ergo si Constantiense plenarium Concilium tamquam de fide in eadem Constitutione habuit, suprema Summum Pontificem potestate in Ecclesia gaudere, ne in contradictionem manifestam incideret, superioritatem Concilii supra Papam agnoscere minime poterat. Huc accedit, quod in eodem Concilio plenario a Martino V approbato definitum fuerit, Summum Pontificem esse universalis Ecclesiae caput. In Synodali Epistola, quam, sacro approbante Concilio, edidit Martinus contra errores Wicleffi et Hus, ad Germaniae Praelatos directa, inter articulos credendos propositos unus est: « Quod Papa sit caput Ecclesiae catholicae ». Eadem igitur habitudo Summi Pontificis est ad universam Ecclesiam, et ad Concilium generale eam repraesentans, quae inter caput et corpus intercedit; at ex capite motum, omnemque influxum obtinet corpus: ergo ex ipsa Constantiensi Synodo, totam vim gubernandi Ecclesiam generale Concilium obtinet non immediate a Christo, sed mediante capite Romano Pontifice: haec autem componi non possunt, cum iis quae in Sessionis quartae, et quintae decreto leguntur, si eo sensu accipiantur quo ab adversariis sumuntur.

Ex his quae huc usque diximus nobis satis videtur probatum, decretum a Constantiensibus Patribus in Sessione 4 et 5 editum nullius auctoritatis esse, tum quia a legitimo oecumenico Concilio editum non fuit, tum quia Summi Pontificis approbatione caret. Nos inter varias huius difficultatis, quam Pontificiae potestatis adversarii opponunt, solutiones, hanc selegimus, quia nobis haec totum illius fundamentum evertere videtur; at plures gravissimi Doctores diver-

sam ab ea, quam nos sequuti sumus, viam, ad illam praecidendam difficultatem ingressi sunt, ut Turrecremata Lib. 2 de Ecclesia, Campegius, Sanderus, quos citat ac sequitur Bellarminus Lib. 2 de Conciliis, Cap. ultimo, Driedo Lib. 4 de dogmatibus Cap. 4, Iacobus Laterus Cap. 4 de primatu Romani Pontificis, et Cabasutius in historia Concilii Constantiensis, aliique, etc.

Hi omnes permittentes Constantiense Concilium legitimum fuisse, ac Martino V quoad ea etiam quae in dictis Sessionibus acta sunt fuisse approbatum, nihilominus, dicunt, ex eo Concilium generale in Pontificem Summum auctoritate absolute gaudere, probari non posse. Etenim Constantienses Patres non definierunt simpliciter, oecumenica Concilia immediatam a Christo Domino supra Pontifices auctoritatem obtinuisse, sed solum secundum quid; scilicet in eo tantum casu, quo tempore schismatis quis verus Papa sit ignoratur; cum in hoc casu dubius tantum habeatur Pontifex, et Papa dubius non habetur pro Papa; ergo nullam supra legitimum et verum Pontificem potestatem habet, qui illam in Papam dubium habet. In huius sententiae favorem Cabasutius, citato loco allegat ipsum Ioannem Gersonem, dicens: « Ioannes Gerson ascenso suggestu luculentum sermonem habuit, qui extat inter opera eius impressa, quo Concilii generalis auctoritatem asseruit supra Papam, non utique absolute, sed casualiter, ut ipse loquitur: scilicet in extremis Ecclesiae necessitatibus, qualis tunc occurrebat in dubio de vero Pontifice inter plures contendentes ». Et Duallius part. 4, quaest. 7 dicit: « Non sine maxima ratione gravissimi quidam Doctores asserunt, Concilium Constantiense nihil aliud definivisse, quam Concilium esse superius Pontifice dubio, et incerto, quod accidit, quando schismate laborat, et vexatur Ecclesia, et iura contendentium omni ex parte dubia sunt. Tunc enim nemo dubitat, quin in Ecclesia sit suprema potestas, ad dubios illos Pontifices vel alterum eorum deponendum, aut aliquem in eorum locum sufficiendum »; ac exinde quaest. 9 deducit: « Concilium Constantiense hac in parte intelligendum est dumtaxat de tempore Schismatis, et quando Pontifices incerti sunt et dubii ».

Haec sententia vim acquirit, si haec tria animadvertantur: finis, ob quem Concilium coactum fuit; circumstantiae, quae huic condendo decreto occasionem praebuerunt; verba, quibus decretum ipsum expressum fuit. Omnium fidelium in votis erat, ut longum schisma, quo afflictabatur Ecclesia, cessaret, et in maxima illa dubietate de Pontifice legitimo in qua Christianus Orbis versabatur, ut in bonum Ecclesiae pacis dimisso a tribus contendentibus Pontificatu, novus et legitimus eligeretur Pontifex; en cur Concilium coactum fuit. Circumstantiae vero quibus decretum conditum fuit, hae fuerunt. Ioannes XXIII verens ne Pontificatui cedere cogeretur, media nocte fuga se surripuit, et Scaphusam pervenit, uti supra dictum est, ibique aliquo tempore moratus est, et statim ad valvas Ecclesiae Constantiae edictum affigi iussit, quo omnes Romanae Curiae Officiales, et suos familiares Scaphusam evocabat; atque ita Capite suo Concilium orbatum nulla amplius Concilii generalis auctoritate illud Constantiae a se convocatum gaudere contendebat; et in hanc sententiam plures quoque Cardinales venerant. Tunc Constantienses, die 25 Martii 1415, Sessionem 3 celebrarunt, in qua constituerunt, Concilium post recessum Ioannis solutum non fuisse, nec esse ante schismatis extirpationem dissolvendum, nec ad alium transferendum locum, sine eiusdem Concilii consensu, ac nemini licitum esse ante eius finem ab eo discedendi. Igitur in his circumstantiis Patres Constantienses auctoritatem asseruerunt generalis Concilii pro schismatis extirpatione tantum; et ad reddendam Ecclesiae pacem, in illa Pontificis dubietate decretum suum ediderunt. Quod quidem, ne Synodus illa, a qua tantum bonum fideles omnes praestolabantur, cum totius Ecclesiae damno ob dilatam trium obedientiarum unionem dissolveretur, non vero ad imminuendam Pontificiam potestatem, ac quasi vi adacti decreverunt Constantienses Patres.

Hoc manifestum fit ex ipsis verbis, quibus in eius forma usi sunt. Haec enim praemittuntur in decreto edito in Sessione V, quae praecipuum Synodi convocationis scopum indicat: « Haec sancta Synodus Constantiensis, generale Concilium faciens *pro extirpatione praesentis schismatis*, et unione et reformatione Ecclesiae

Dei in capite et membra, etc. » Verba itaque quae sequuntur inter praecedentium verborum limites intelligenda sunt, nimirum in iis temporum ac status circumstantiis, in quibus versabatur Ecclesia; hinc, dicunt Patres: « Primo declarat quod ipsa in Spiritu Sancto legitimo congregata, generale Concilium faciens, et Ecclesiam catholicam militantem repraesentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cuiuscumque status, vel dignitatis etiamsi Papalis existat, obediro tenetur, in his quae pertinent ad fidem, ol extirpationem dicti schismatis, ac generalem reformationem Ecclesiao Dei in Capite, et in membris ». Hisce verbis definitum non est, ut omnes homines et ipsi summi Pontifices omnibus oecumenicis Synodis et cunctis quae in eadem ipsa Synodo erunt definienda, indiscriminatim obtemperare teneantur, sed quoniam ad extirpandum diuturnum schisma, et ad unionem obtinendam Ecclesiae sub legitimo ac certo Pontifice, Concilium convocatum fuit, et dubium aderat quisnam legitimus Pontifex esset; ideo totam illam auctoritatem, qua Christus Ecclesiam suam exornavit, in ipsum Concilium, universalem Ecclesiam repraesentans, recidisse declarant; adeoque omnes homines, etiamsi quis legitimum se Pontificem esse praesumeret, iis quae ab eadem Synodo circa fidem et extirpationem Schismatis, et generalem reformationem Ecclesiae Dei in Capito et in membris definirentur, obedientiam praestaro coguntur. Quae autem in secunda parte huius decreti leguntur, haec confirmant; ibi enim poenitentiis canonicis aliisquo poenis subiiciuntur, qui Synodo illi, vel aliis legitime congregatis obtemperaro recusaverint; at haec non generatim et indistincto feruntur, sed ad ea tantum Concilia limitantur, quae propter easdem causas, et ad eas pertinentes coacta fuerint, uti constat ex hac limitatione his verbis adiecta « *super praemissis seu ad ea pertinentibus*, » quae antecedentia verba limitant. « Item, inquiunt Patres, declarat, quod quicumquo, cuiuscumque conditionis, status, et dignitatis, etiamsi Papalis existat, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus, aut praeceptis huius Sanctae Synodi, et cuiuscumque alterius Concilii generalis legitime congregati, *super praemissis seu ad ea pertinentibus* factis, vel faciendis obedire contumaciter contempserit. » Si igitur

eorum Patrum mens fuisset, ut Pontifices non illi solum Concilio, vel aliis in iisdem circumstantiis congregatis, sed omnibus oecumenicis Conciliis subiicerentur; profecto ii Patres generalibus, et indefinitis verbis usi fuissent, neque immediate ea limitassent his verbis: *super praemissis seu ad ea pertinentibus.* » Constat igitur ex ipsis Decreti verbis noluisse Patres Constantienses definire indiscriminatim superioritatem Concilii supra Papam, sed solum in iis circumstantiis, in quibus tunc temporis versabatur Ecclesia.

Haec difficultatis propositae solutio, a citatis doctoribus data, vim acquirit, ex his quae eruditissimus Schelestrate in citato opere tradit; qui postquam per sex menses, summa diligentia, ac indefesso labore, Manuscripta, et Codices bibliothecae Vaticanae evolverat, Acta demum invenit et gesta Concilii Constantiensis eo usque inedita, ex quibus efficaciter probavit Sessionis 4 et 5 decretum non solum ab una tantum obedientia editum fuisse, sed etiam Basileensium compilatione corruptum ad nos transiisse. In decreto primo in Sessione quarta edito verba: « ad reformationem Ecclesiae Dei, in capite et in membris » prorsus deesse ostendit. Constantiensis Concilii Decreta primo impressa sunt anno 1500 ex compilatione Basileensium, qui ut in Eugenium IV auctoritatem et superioritatem sibi arrogarent, verba illa quae Constantienses in solo quintae sessionis Decreto apposuerant, Decreto sessionis quartae addiderunt. Sessio autem quarta maioris auctoritatis fuit; et antequam celebraretur dum Patres iam cum pluvialibus et mitris essent parati, mediante Rege Romanorum *adhibitum est quoddam moderamen in expediendis in illa Sessione*, nimirum ut inter Decreta omitteretur secundum de potestate coactiva Concilii, et in primo de reformatione Ecclesiae in capite, et in membris nulla mentio fieret. In ea itaque sessione Cardinalis Florentinus, cuius tanquam ultimi officium erat in publicis Sessionibus pronunciare Decreta, cum ad verba venisset de reformatione Ecclesiae in Capite, et in membris, quae *iuxta adhibitum dictum moderamen* erant supprimenda, et Nationes delere omiserant, *substitit, eaque falsa esse, et praeter communem deliberationem addita asseruit.* Quapropter omissa fuit illa clausula; et in eadem Sessione 4 Cardinales monuerunt Nationes, *quod suspenderent ad*

tempus materias illas quae habent magnas difficultates, et maturam exigunt deliberationem. Ita in Regesto Concilii illius in tribus Codicibus manuscriptis. Sessio autem V, in qua illa verba de reformatione Ecclesiae decreto adiecta fuerunt, exiguae auctoritatis habetur; quia pluribus obsistentibus et contradicentibus conditum est decretum. Etenim post Sessionem quin Patres Constantienses publicum examen coram Nationibus de controversis articulis instituerent, quod coram Concilio postea esset habendum, quasi parvi momenti res esset, aliquos nominarunt, qui cum Cardinali Florentino de his pertractarent: post aliqnam de ea re disputationem, quatuor Nationum Deputati die 2 Aprilis inter alia multa inter se statuerunt, « *quod in proxima Sessione omnes articuli, et clausulae concordatae per Nationes in ultima sessione praetermissae expediantur* ». Ita Regestum Concilii in tribus manuscriptis Codicibus. At cum Cardinales rescivissent articulos et clausulas in Sessione quarta praetermissas, in quinta Sessione esse publicandas, ne iis assentiri cogerentur, Sessioni illi intervenire nolebant; postea vero ad scandalum vitandum interfuerunt. « Praemissa per Dominos Cardinales et Oratores Regis Franciae protestatione, in camera paramentorum Palatii Constantiensis secreto facta, quod propter scandalum evitandum ad Sessionem ibant, non animo consentiendi his, quae audiverunt in ipsa statui debere, maxime quod Dominus Noster Papa, et alii in Concilio existentes in plena securitate fuerant, quorum plura statuta non sunt; sed ad Sossionem aliquam reservata: tandem quinta Sessio celebrata est ». Quapropter verba illa *ad reformationem*, etc., apposita fuerant contradicentibus Cardinalibus et Regis Christianissimi Oratoribus. Et Cardinalis Florentinus Canonistarum sui temporis facile princeps, cuius officium erat, uti diximus, legendi decreta, rogatus ut ea legeret, id recusavit. « *Poenariensis legit Decreta per modum Constitutionum Synodalium, quia Cardinalis Florentinus ea legere noluit* ». Schelestrate in Compendio Chronologico, pag. 53. Ex hisce ergo quae eruditissimus Schelestrate demonstrat, facile evincitur quam tenue praesidium contrariae sententiae patroni a decreto Concilii Constantiensis obtinere valeant; quia in quarta Sessione, quam omnes Patres obedien-

tiae Ioannis celebrarunt, noluerunt clausulam illam Decreto apponere, quae tandem solum in Sessione quinta, contradicentibus praecipuis Patribus, adiecta fuit.

Ex his igitur omnibus quae hactenus disseruimus patet, infallibilitati Summorum Pontificum Constantiensis Concilii decretum nihil detrahere: primo quia decretum illud particularis Concilii fuit, non generalis, utpote conditum a sola obedientia Ioannis, et contradicentibus praecipuis eiusdem obedientiae Patribus; neque postea a Concilio plenario, neque a Martino V fuit approbatum; et dato etiam et non concesso, quod illud a Patribus in Concilio plenario latum, et a Summo Pontifice approbatum sit; cum fuerit editum pro solo casu extirpationis schismatis, et quando non certus et indubitatus, sed dubius Pontifex habetur, extra hos casus ex eo decreto superioritas Conciliorum generalium supra Papam argui non potest.

ARTICULUS II.

Obiectio ex Liberii gestis eruta dirimitur.

Adversus Liberium ab Imperatore Constantio pro defensione Athanasii et fidei catholicae in exilium missum duo obiiciuntur. Primum est, quod malis et exilii aerumnis gravissimis fractus, ut ad suam sedem rediro liber posset, defensione Athanasii deserta, eoque sua communione privato, in eius condemnationem consenserit, et pacem profitens cum Ursacio et Valente Arianorum principibus, eos in suam communionem receperit. Secundum est, quod Sirmiensi formulae subscripserit, quae a S. Hilario Arianorum perfidia appellatur, et in qua catholica veritas dissimulatur. Si haec quae sancto Pontifici, ac strenuo catholicae fidei defensori tribuuntur, vera essent, infallibilitati Summi Pontifici quam propugnamus, nullum praeiudicium afferrent. Etenim, ex indubiis historicis monumentis manifestum est gravem violentiam, ac gravia mala passum fuisse Liberium, ne in iis Imperatoris voluntati acquiesceret, adeoque si postea, iis quae ipsi obiiciuntur consensisset, ipsum non libere, ac sua sponte, sed ob violentiam, et ob gravem mortis metum id

peregisse dicendum esset. Facile nobis esset haec temporum illorum testimoniis demonstrare, sed cum ipsi adversarii haec concedant, ne in re inutili conficienda immoremur, satis sit ipsum Bossuetum audire, qui in Instructione 2, Num. 105, adversus haereticos ostendit, promissionibus a Christo Domino Ecclesiae factis nihil Liberii lapsum detrahere; « cum certum sit, inquit, ipso facto, eum nonnisi manifestae violentiae cessisse, et mox ex semetipso ad officium rediisse »; hancque autem violentiam gravem fuisse hisce verbis probat: « At tacenda non erat crudelis Imperatoris saevitia, cuius minae non exilium tantum, sed tormenta etiam atque mortem secum trahebant. Scitur nimirum testimonio constanti Sancti Athanasii omniumque eius aetatis auctorum, Constantium sparsisse multum sanguinem, eisque, qui repugnabant eius voluntati circa Arianismum, ipsius iram fuisse metuendam. Ego id non dico, ut Liberium excusem, sed ut sciatur, omnem actum, qui vi extorquetur, ex quolibet iure nullum esse ». Pro certo itaque habendum est, quod si Liberius in his peccasset, nonnisi eius infirmitati ob violentiam, ac gravem metum id tribuendum esset. At nos inferius ostendemus, inter conditiones, quae ex parte actus necessario requiruntur, ut ex Cathedra Summus Pontifex loquatur, eam esse, ut aliquid definiens ab omni vi, coactione, ac metu liber sit. Ergo si vera essent, quae de Liberii lapsu narrantur, certum esset ex cathedra eum loquutum non fuisse, neque suam protulisse doctrinam, sed quae illi imposita fuisset. Cum autem de manifesta violentia ageretur neminem potuisset in errorem trahere: et quoniam narrant eum post restitutionem ab exilio statim strenue contra haeresim Arianam dimicasse, satis ostendisset, se ob infirmitatem tantum, non ex animo Constantii iussionibus acquievisse.

Secundo animadvertendum est quod etiamsi Liberio obiecta crimina vera esse dicantur, nullum tamen in his adversus fidem errorem ipse professus esset, ac docuisset, ita ut dici possit in fidei definitione eum errasse. In formulae Sirmiensis subscriptione reus omissionis fuisset, cum fidei periculo veritatem tacendo, quae ex ipsius fidei virtute erat exprimenda, ac reus etiam scandali, quia ex omissa explicita fidei professione vel erroris confirmatio aliqua,

vel saltem dubium in fidelium animis de veritate fidei oriri poterant, quae gravia peccata sunt, at nullam contra fidem definitionem implicant. Etenim inter eruditos, etiam adversarios, haec iam sententia invaluit, quod si Liberius formulae alicui subscripserit, ea fuit prima adversus Photinum Sirmii edita in qua, voce ὁμοούσιος praetermissa, quidquid expressum erat in catholico sensu accipi poterat. Haec ab ipso S. Hilario in Lib. de Synodis uti catholica recognita fuit. Alteri autem formulae Liberium subscribere non potuisse facile probatur. Tres Sirmii formulae editae fuerunt: prima contra Photinum an. 351, altera an. 355, tertia an. 359. Tertiae Liberium subscripsisse dici non potest, cum sub initium an. 358 eius reditus evenerit: neque secundae, tum quia ex S. Hilario, Lib. de Synodis, unus Hosius ex iis qui Ariani non erant, in omissionem vocis ὁμοούσιος *consubstantialis* et ὁμοιούσιος *similis* consensit: « Oro vos, inquit, ne quisquam alius ex his, praeter senem Hosium, et ipsum illum nimium sui sepulcri amantem, reperiatur, qui tacendum existimaret de utroque »; tum quia si cui subscripserit formulae, Liberius, ea fuit quae dicitur in Fragmento VI, num 7, conscripta a viginti duobus Orientalibus « et perfidia ab Hilario vocatur », quam Liberius *catholicam dicit*. At secunda formula non ab Orientalibus, sed ab Occidentalibus latine edita fuit, uti testantur Athanasius, Socrates, et Hilarius ipse Lib. de Synodis num. 11, et nos quoque inferius videbimus ostendentes spuria esse illa verba Hilario in hoc Fragmento tributa. Ergo si concederetur, alicui subscripsisse formulam Liberium, dicendum esset, primam fuisse, in qua nil invenitur, quod verae fidei contradicat. Hoc autem solum in subscriptione huius formulae crimen a Liberio admissum ipse Bossuetus fatetur, nimirum « *subscripsisse ei fidei, qua Christus consubstantialis, eiusdemque cum Patre substantiae taceretur* » (Lib. 9 Defens. c. 33). Multo minus autem dici potest in subscribenda condemnatione Athanasii et in communicando cum Ursacio et Valente definitionem aliquam fidei edidisse Liberium; neque ex eo argui potest, eum a fide defecisse. Athanasium cui plura ac falsa ab Arianis imputabantur crimina, propter quae a sua Sede iniuste ab

ipsis fuit depositus, ipso Liberius in praesumptis eius epistolis deseruisse fatetur, quia melius edoctus fuit, et ideo eius hostium partes sequutus est. Potuit enim ipse saltem in dubium venire, utrum vera essent sin minus omnia, saltem aliqua crimina quae in Athanasium erant eo temporo ab Arianis divulgata, et prout ex humana fragilitate in hisce casibus contingere solet, propter mala quae hac de causa patiebatur, et propter graviora quae metuebat, tam grave pondus rationes contra Athanasium militantes acquirere poterant, ut Pontificis inclinarent assensum ad iudicium de eius culpabilitate ferendum. Attamen sive res ita evenerit, sive etiam scienter ob animi infirmitatem in Athanasii condemnationem Liberius consenserit, haec culpa nedum ullam definitionem contra fidem continet, sed neque ullum contra fidem errorem praesefert, neque eum certe docuit Liberius; solum innocentem Athanasium deserendo peccasset, ac scandali crimen, quod ex hoc facto contra fidem erat oriturum, admisisset. Ergo etiamsi concederetur verum esse lapsum Liberio tributum, solum dicendum esset ipsum ob humanam infirmitatem crimen aliquod admisisse, nunquam dici posset eum vel in fide errasse, vel contra fidem errorem aliquem ex cathedra docuisse.

At communis est hodie opinio apud eruditos et doctissimos viros, hunc Liberii lapsum, prout in vulgo narratur, commentitium esse. Primus qui Liberii innocentiam ab impacto crimine vindicavit, fuit Vir clariss. Corgnius, Suessiouensis Canonicus, in Dissertatione Parisiis recusa anno 1736, cui titulus : « *Dissertation Critique et Historique, sur le Pape Libère, dans laquelle on fait voir qu'il n'est jamais tombé* », in qua demonstrat Liberii lapsum suppositium fuisse, ac a malevolis hominibus excogitatum, ut Summorum Pontificum praerogativis detraherent. Hanc viam sequuti sunt inter recentiores scriptores illi qui eruditione ac doctrina ceteros praecellunt, inter quos est Franciscus Ant. Zaccaria, in Dissert. de Commentitio Liberii lapsu. Profecto si haec historica controversia pacato animo, et absque praeiudiciis discutiatur, facile quisque diiudicare potest, argumenta, quae ab his criticis pro Liberii innocentia afferuntur, tam gravia esse, ut nedum aliquod de Liberii crimine relinquant dubium, sed eum innocentem prorsus fuisse demon-

strent. Nos brevitatis gratia selectiora argumenta pro hac sententia hue afferemus.

Revocato ab exilio Liberio, rumor sparsus est, malis Arianorum artibus, qui in hisce fraudibus admittendis, ut ex Historia constat, peritissimi erant, eum apud Constantium veniam obtinuisse, quia illius voluntati obsequutus fuerat; hinc apud quosdam dubitatum saltem fuit utrum hac de causa, vel potius in gratiam populi Romani, a quo Constantius fuit rogatus, Romam redierit. Ita apertissime scribit Rufinus Aquileiensis, Lib. 1, Hist. cap. 17 (edit. Paris. 1580): « Liberius Urbis Romae Episcopus Constantio vivente regressus est. Sed hoc, utrum quod acquieverit voluntati suae ad subscribendum, an ad populi Romani gratiam, a quo proficiscens fuerat exoratus, indulgens, pro certo compertum non habeo ». Incertus itaque initio saeculi V Liberii lapsus erat, et incerta eius reditus causa, et ipsi scriptores incerti super hac re haerebant. Attamen quatuor gravissimos habemus scriptores, Sulpicium Severum Rufino aequalem, Socratem, qui plurima ex Rufino exscripsit, Theodoretum hominem doctissimum, et Cassiodorum in historiis versatissimum, qui omnes licet ea quae iis temporibus incerta fama de Liberii ab exilio redeuntis lapsu ferebat ignorare non potuissent; attamen in eorum scribendis historiis de Liberii lapsu omnino silent, et eius reditum solum Matronarum ac populi Romani precibus, ac minis attribuunt, quibus permotum Constantium eum ab exilio revocasse narrant. Ex indubiis igitur documentis hos gravissimos Historicos collegisse dicendum est, inter fabulas ea, quae tunc temporis de Liberii lapsu in vulgus ferebantur, esse accensenda. Sulpicius Severus, Hist. Sacrae *Lib.* 2, *cap.* 39, *pag.* 263 *et* 264, *Edit. Lipsiensis, an.* 1763, *cum notis W. Vorstii*, haec scribit: « Liberius quoque Urbis Romae, et Hilarius Pictavorum Episcopus dantur exilio... Sed Liberius paullo post Urbi redditur ob seditiones Romanas. » Hic scriptor, qui in sua Arianorum historica narratione, multa retulit ex Hilarii fragmentis, in quibus tum suppositiae Liberii epistolae referuntur, tum plura narrantur ex quibus apertissime colligitur, Constantium infensissimum eidem fuisse, ac solum precibus Valentis, Ursacii, Germinii, Vincentii Capuani,

Fortunatiani Aquileiensis aliorumque Orientalium victum eius restitutioni indulsisse, haec ignorare non poterat, ne verbum quidem facit, quod saltem de Liberii lapsu dubium aliquod ingerat, et eius reditum Romanorum seditioni attribuit, qua perterritus Constantius eius restitutionem concessit. Idipsum narrat Socrates, Hist. Eccl. Lib. 2, cap. 37, Edit. Vales. « Ceterum Liberius haud multo post ab exilio revocatus sedem suam recepit, cum Populus Romanus seditione facta Felicem Ecclesia expulisset, et Imperator licet invitus assensum illis praebuisset ».

Socrates quoque Romani populi seditioni, ob Liberii amorem excitatae, eius reditum tribuit, et non solum de eius lapsu omnino silet, sed illum palam reiicere videtur, hisce verbis: *Imperator licet invitus, assensum illis praebuisset;* profecto si eius voluntati obsequutus fuisset Liberius, libentissime ob fractam eius constantiam, et ob victoriam in eius animum relatam libertate eum donasset. Haec ipsa fusiori calamo Theodoretus narrat in *Hist. Eccl. Lib.* 2, *cap.* 17, *edit. Vales.* « *Gloriosus igitur* (de Liberio inquit) *veritatis athleta, in Thraciam, uti praeceptum fuerat, perrexit. Elapso autem biennio Constantius Romam profectus est*, heic vero a Romanis matronis, ut Liberium ab exilio revocaret, enixe rogatus est. *Flexus itaque Imperator egregium illum omnique laude dignissimum, ab exilio redire iussit: ambos vero* (Liberium et Felicem) *in commune Ecclesiam administrare:* Sed hanc Imperatoris Epistolam populus explosit, *ac omnes una voce acclamarunt: Unus Deus, unus Christus, unus Episcopus..... Post has Christianissimae plebis acclamationes, pietatis ac iustitiae plenas reversus est admirandus ille Liberius.* » Laudes, quibus Liberius a Theodoreto extollitur, cum eius lapsu, vel saltem cum vero de eo dubio conciliari non possunt. Liberium enim vocat Theodoretus ab exilio redeuntem *egregium, omni laude dignissimum, admirandum.* Iuxta Theodoreti mentem igitur gloriosus veritatis athleta Liberius fuit, dum in exilium abductus est, quia integram, inviolatamque fidem servavit et si ab exilio redeuntem Theodoretus iisdem nominibus et ob eius constantiam *admirandum* vocat, hoc satis indicat ipsum non fidei desertorem, sed eo etiam tempore verae fidei

adsertorem Liberium habuisse. Iam vero si Theodoretus qui in Arianorum historia texenda Athanasii operibus usus est, et Liberii lapsum, si suppositilius non fuisset, ignoraro non poterat, eumdem Pontificem ob eius constantiam tum anto, tum post exilium tot laudibus extollit, eiusque admirabilem reditum debitum fuisse testatur *Christianae plebis acclamationibus, gloriosum* Pontificem in Circo ab Imperatore postulantis, manifesto ostendit, quao de huius Pontificis lapsu circumferebantur, ea prorsus falsa ac supposititia ab Arianis inventa retinuisse. Cassiodorus, in *Hist. tripart. Lib.* 5, *cap.* 18, *pag.* 266 *Tom.* 2 *Operum, edit. Rotomag., anno* 1679, iisdem fero verbis eadem narrat, quao a Theodoreto audivimus; Liberium appellat *gloriosum veritatis athletam,* admirandum, veritatis propugnatorem, et victorem, tandem in fino Capitis *Sanctissimum.*

Haec confirmantur ex iis quao Sozomenus, *Hist. Eccl. Lib.* 4, *Cap. II,* refert, ubi narrat, Populum Romanum etiam atque etiam ab Imperatore Constantio Liberii reditum postulasse; et *Cap.* 15 causam dicit, cur Romano populo tam carus Liberius esset: « *Liberium,* inquit, *utpote virum undequaque egregium, et qui pro religione Imperatori fortiter restitisset, Populus Romanus impense diligebat.* » Defensio igitur Nicaenao fidei Romano populo, qui Athanasio propter eiusdem fidei defensionem addictissimus erat, carissimum Liberium reddebat,.qui strenuo etiam pro Athanasio decertans in Imperatoris iram inciderat: et e contra eidem populo invisus Felix erat; tum quia Imperatoris opora in Liberii locum fuerat intrusus, tum quia cum haereticis communicare ausus fuerat. Haec Theodoretus loco citato do Felico narrat: « Qui Felix formulam fidei a Nicaenis Patribus expositae, integram quidem atquo inviolatam servabat: cum iis tamen, qui eam labefactabant, libere communicabat. Atquo ob hanc causam nemo ex civibus Romanis in Ecclesiam ingressus est, dum illo intus esset ». Iam vero suum in Liberium amorem ob invictam eius constantiam ab exilio redeuntem Romanus populus indubiis modis testatus est, cum summo gaudio, ac plausibus tamquam triumphatorem excipiens, uti tradiderunt Marcellinus et Faustinus in precibus ad Imperatorem: *Cui*

(Liberio) *cum gaudio populus Romanus obviam exivit;* et Hieronymus in Chronico scripsit: *Romam quasi victor intravit.* Haec autem cum Liberii lapsu componi non possunt. Etenim si relicta pristina constantia Liberius Nicaenao fidei Sirmiensem formulam praetulisset, si Athanasii defensione et communiono deserta haereticos Orientales, praesertim Valentem, Ursacium, Epictetum, et Auxentium, quos Occidentales uti haereticorum coriphaeos detestabantur, in communionem suam recepisset; item si vera esset eius Epistola Berea ad Clerum Romanum missa, in qua suae defectionis notitiam aperte declarat; profecto piissimus, et Nicaenae fidei addictissimus Romanus populus, tamquam strenuum illius fidei athletam, ac haereticao pravitatis, ac haeretici Imperatoris Constantii triumphatorem, tot laudibus ac plausibus, cum Romam redeuntem non excepisset; imo tamquam verae fidei desertorem eumdem retinens magis quam Felicem, qui tantum cum haereticis communicaverat, sibi exosum habuisset. Hinc dicendum est, tum Liberii illam epistolam atquo aliam, quao ad Orientis Episcopos scripta dicitur, tum quae de eius lapsu ab Arianis divulgabantur, falsa prorsus fuisse, ac uti talia Romanum populum ea existimasse.

Orientales quoque Episcopi litteras et Legatos ad Liberium Romam ab exilio reversum, uti Nicaenae fidei *defensorem* mittentes satis abunde ostendunt, rumores ab haereticis, de eius a fide defectiono sparsos, tamquam calumniosos habuisso. In Actis Eusebii Vercellensis ab Ughellio editis, *Tom. 4 Ital. Sacr. edit. Venetae, pag.* 759, de eo dicitur: « Romam veniens Liberinm Papam adiit, quem summo gaudio Liberius excipiens collegam illius se foro congratulabatur: ostenditquo ei Beatus Eusebius fidei decretum, quod ipse et Athanasius vir gloriosus Alexandriae peregerunt cum ceteris Orientalibus Episcopis ». Hoc decretum, anno 362, biennio scilicet post Concilium Ariminense, conditum a Liberio, ut illud comprobaret, Eusebius obtulit. Haec profecto manifeste demonstrant Liberium certissimis documentis innocentiam suam, ac Nicaenae fidei firmissimam adhaesionem, apud ipsum Eusebium comprobasso.

Tandem tota post exilium Liberii agendi ratio grave nobis argumentum de eius innocentia suppeditat. Primo, Macedonianorum Le-

gatis, ad eum missis ut Romanae Ecclesiae communionem peterent, hac sola conditione eam concessit, ut Nicaenae fidei subscriberent, uti constat ex eius Epistola ad Episcopos Macedonianos, relata a Socrate, *Hist. Lib.* 4, *Cap. 11*, *edit. Vales.* Secundo, magna constantia Ariminensi Concilio subscribere noluit, uti scribit S. Damasus proximus eius in Pontificatu successor, in Epistola ad Episcopos Illyriae *(Theodoret.) Hist. Lib.* 2, *Cap.* 22, *Edit. Vales.* Haec sunt Damasi verba: « Neque enim praeiudicium aliquod nasci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt, cum constet Romanum Episcopum (Liberium) cuius ante omnia fuit expetenda sententia, neque Vincentium, qui tot annos Sacerdotium inculpate servavit, neque alios huiusmodi Statutis consensum aliquem commodasse ». Tertio, iis, qui Arimini lapsi sunt, poenitentiae leges praescripsit, uti ex eius Littera ad Episcopos Orientis liquet, quam Socrates laudat, *Hist. Lib.* 4, *cap.* 12; quorum poenitentiam referunt Sulpicius, *Lib.* 2 *Hist. sacr.*, Hieronymus *Dialogi adv. Lucif.* et Damasus in Epist. ad Episcopos Illyricos. Et in Epistola ad Episcopos Italiae, anno 363, asserit Liberius quosdam adfuisse, dicentes *non esse parcendum his, qui apud Ariminum ignorantes egerunt: sed mihi, cui convenit omnia moderate perpendere, maxime cum et Aegyptii omnes et Achivi accusati sententiam receperunt, multis parcendum quidem his, de quibus supra tractavimus* Quomodo vero haec omnia cum eius lapsu conciliari possint, non videmus. Etenim si Episcopi qui Arimini lapsi fuerunt, ea quae ibi admiserunt, ad reparandum scandalum, retractarunt ac de his poenitentiam egerunt, certe ad gravius scandalum medendum, et ad omnem suspicionem de sua fide amovendam et ipse Liberius, si lapsus fuisset, eamdem retractationem emisisset: at nullum in illorum temporum Historiis vestigium reperitur, quod etiam indirecte demonstret, ipsum aliquod facinus retractasse; ac nullum quidem indicium in iis invenitur, quod saltem indicare valeat, quomodo olim damnatum Athanasium in communionem receperit. Qua fronte igitur ipse poenitentiam Patribus Ariminensibus imponere potuisset, si et ipse huius criminis reus eamdem poenitentiam imo valde graviorem, ob gravius propter eius dignitatis celsitudinem facinus, non egisset?

Certum siquidem est eius scandali dati reparatio ac poenitentia maioris ponderis, quam Ariminensium Patrum fuisset; et si hanc in historicis monumentis commemoratam invenimus, multo magis ad fidelium aedificationem et ad eos in Nicaenae fidei professione confirmandos, et ad medendam Orbis catholici offensionem Pontificis retractationem in texenda illius aevi historia scriptores palam narrassent, et in aliis illorum temporum genuinis monumentis aliquod saltem vestigium inveniretur.

His accedit, quod si Liberius lapsus revera fuisset, et splendidum suae retractationis ac poenitentiae documentum non dedisset, Sancti Ecclesiae Patres, coaevi, ac suppares post reditum ab exilio, et post eius mortem, sanctitatis laurea eum non decorassent. At Liberius etiam post mortem semper sanctus habitus est. S. Ambrosius, Lib. 3 de Virginibus Cap. 1 ad Marcellinam sororem, inquit: « Tempus est, soror sancta, ea quae mecum conferre soles, beatae memoriae Liberii praecepta revolvere, ut quo vir sanctior, eo sermo accedat gratior, etc. ». Haec scripsit S. Doctor, prout ipse dicit, *Lib.*, 2 *Cap.* 7, anno 377, nimirum undecimo post Liberii obitum. S. Epiphanius eodem ferme tempore, *Haeresi* 65, *quae est Aerii*, de Eustathio Sebasteno agens dicit: « Videtur, et ad Liberium beatae memoriae Romanum Episcopum cum aliis Episcopis legationem obiisse ». Basilius, anno 377, *Epist.* 263, *col.* 74, *Tom.* 3 *Operum*, de eodem Eustathio Sebasteno loquens, Liberium *beatissimum* appellat. S. Siricius tertius a Liberio summus Pontifex, Epist. 1ª ad Himmerium Episcopum Tarraconensem, *Can.* 1, *Tom.* 2 *Concil. Labbei*, Liberium vocat *venerandae memoriae praedecessorem suum*. At quomodo isti S. Patres Liberium beatum, ac sanctum appellare potuissent, si post eius lapsum nullam palinodiam recantasset, ac nulla poenitentia peracta veluti haereticus mortuus esset? Haec nobis videntur abundo demonstrare, eius lapsum ab Arianis excogitatum, ac divulgatum, inter fabellas esse adnumerandum.

Argumenta nunc ad trutinam revocanda sunt, quibus qui Liberium Constantii voluntati cessisse traduut, innituntur. Praecipua quidem afferemus, reliqua videri possunt soluta apud Corgnium, et apud Zaccariam, in Dissert. de commentitio Liberii lapsu. Quae de

Liberio ab Athanasio, in Historia Arianorum quam Epistolae suae ad Monachos subiecit, referuntur, si vera, et non ab aliena manu concinnata essent, peremptoria ad eius lapsum ostendendum apparerent: haec tradit Athanasius, num. 41, Tom. 2, edit. Benedict. « Sic itaque a principio ipsam Romanam Ecclesiam labefactare conati sunt (Ariani) optantes suam illi admiscere impietatem. Porro Liberius extorris factus, post biennium denique fractus est, minisque mortis perterritus subscripsit: verum ea ipsa re comprobatur cum violentia eorum, tum Liberii in haeresim illam odium, eiusque pro Athanasio suffragium, quamdiu scilicet libere, arbitrioque suo agere licuit. Nam quae tormentorum vi praeter priorem sententiam eliciuntur, ea non reformidantium, sed vexantium sunt placita. Nihil itaque haeresis suae gratia non aggressi sunt. » Postea ita Osii lapsum narrat, num. 45: « Constantius..... Osium quem exilii vico anno integro Sirmii detinet, nec Deum metuens impius homo, neque patris erga Osium affectum reveritus improbus ille, neque senectutem (centenarius ille erat) veneratus vir inhumanus. Haec namque omnia haeresis gratia nihil fecit novus ille Achab, aliusque nostri aevi Balthassar. Tantum enim seni vim intulit, tandiuque illum retinuit, ut malis oppressus, vix tandem cum Valente et Ursacio communicaret, neque tamen scriberet contra Athanasium. Sed eam rem minime neglexit senex, instante quippe morte, vim sibi illatam quasi testamento declaravit, Arianamque haeresim feriit anathemate, vetuitque ne quis illam reciperet. » Corgnius, Zaccaria aliique eruditi contendunt haec Athanasium scribero non potuisse, quando hanc Epistolam ad Monachos dabat, neque etiam postea adiicere; sed ab aliquo imperito laciniam illam additam fuisse. Hoc sequentibus rationibus quarum summam dabimus, demonstrant.

Primo, quae in hac historia narrantur, aperte ostendunt ante Liberii lapsum ea scripta fuisse; ergo quae de hoc lapsu referuntur, addita postea fuerunt. Haec historia ab Athanasio concinnata fuit anno 355, vel non serius an. 356; id eruitur apertissime ex eo quod de Leontio Ariano et Antiocheno pseudo Episcopo iis verbis mentio ibi fiat, quae adhuc in vivis eum esse supponant, quando Athanasius eam texebat: haec sunt eius verba: « *Leontius castratus*

qui nunc est Antiochiae Episcopus. » Socrates autem Lib. 2, Cap. 17, narrat, eo temporo Leontii mortem nuntiatam Romao fuisse, quo ibi Eudoxius Germanicae Episcopus, una cum Imperatoro Constantio morabatur, anno nimirum 356, vel 357, circa mensem Maium; Constantius enim vel anno 356, uti Baronio, et Petavio visum est, vel anno 357 uti Pagius, *in Critica ad annum* 356, tradit, Romam venit: adeoque certum est Leontii mortem contigisse, non serius initio anni 357. Ergo ante illud tempus anno 355, vel 356 Athanasius historiam scripsorat. At certum est Osium anno 357 lapsum esse; Liberius autem, si ea quae de eius lapsu narrantur, vera essent, post initium anni 358 Imperatoris mandatis acquievit. Aliqui eruditi uti Benedictini Editores Athanasii, Tillemontius, *Tom.* 6 *Monum. Eccl., artic.* 70, Bollandiani in *Hist. Chronolog. Patriarch. Antiochen. Tom.* 4 Iulii praefixa, *num.* 211, 212, Leontii mortem contigisso existimant anno 357, vel sub initium anni 358; sed id faciunt, ut illius mortis tempus cum Osii et Liberii lapsu conciliare possint; at Socrati fides in hac narratione, ea do causa deneganda non est, cum nedum haec, sed alia prostant argumenta, quao hanc de Osii et Liberii lapsu narrationem, laciniam esse in historiam Athanasii ab aliena manu insertam confirmant.

Rovera licet concedatur, Leontium in vita anno 358 adhuc fuisse; aliae tamen rationes sunt, quae probant ea quae de Osii et Liberii lapsu in historia Arianorum feruntur, scripta ab Athanasio non fuisse, ac consequenter nunquam ab ipso Athanasio illi addita fuisse, uti visum est Papebrochio, *ad 2 Maii, in Prologo ad Vitam S. Athanasii.* Etenim si ab Athanasio haec narrata fuissent, dicendum esset, eum in historia texenda diligentissimum, in re nota omnibus falsa narrasse, et in rebus gravissimis sibi ipsi contradixisse. In loco superius allato Pseudo Athanasius narrat, hoc crimen tantum Osium admisisse, ut cum Arianis scilicet communicaret, *ut malis oppressus cum Valente et Ursacio communicaret.* At hoc falsissimum est. Omnibus per id temporis notum erat Osium Arianae haeresi adhaesisse. S. Hilarius illius temporis scriptor, in Lib. de Synodis, *num.* 11, *et Lib.* 3 *cont. Constant., num.* 23, refert Syrmiensi formulae secundae, inter Arianas formulas, detestabiliori,

Osium subscripsisse: « *Exemplum,* ait, *blasphemiae apud Syrmium per Osium et Potamium conscriptae* ». S. Phaebadius, seu Phaegadius Angennensis, in Aquitania Episcopus, qui eo ipso tempore scripsit, Arianos Osii auctoritatem ac nomen, eiusque Arianae sectae adhaesionem veluti arietem obiecisse narrat, et addit: « Non potest eius auctoritati praescribi, quia adhuc nunc errat, aut semper erravit... Rursum dico non mihi eius auctoritate praescribitur, nam si nonaginta fere annis male credidit, post nonaginta illum recte sentire non credam ». *Bibl. Pat. Tom.* 4, *pag.* 305. Idem S. Eusebius Vercellensis, in Epistola ad Gregorium Eliberitanum Episcopum, *Fragm. S. Hilarii,* Fragm. XI, Osium vocat *transgressorem*. Tandem omnes illorum temporum historici in eo conveniunt Osium in Arianam haeresim prolapsum fuisse (S. Epiphanius, *Haere.* 14; Socrates, *Lib.* 2 *Hist. cap.* 31; Sozomenus, *Lib.* 4, *cap.* 6 *edit. Vales.* ac ceteri omnes.) Falsum itaque est communicationem cum haereticis solum fuisse crimen ab Osio admissum.

Neque dicas ad Athanasium per id temporis in deserto commorantem integram de Osii lapsu notitiam non pervenisse. Primo enim retorquere possumus argumentum, ac dicere, quod si de Osii lapsu decipi poterat Athanasius, multo magis in Liberii causa id contingere poterat, propter Arianorum fraudes, qui ad auctoritatem sibi conciliandam rumores de Liberii lapsu in vulgus disseminabant. At secundo dicimus, solertissimum in historia Arianorum concinnanda Athanasium, etiam in deserto commorantem, a multis fidelibus edoctum accuratissime fuisse, praesertim de his quae ab Arianis in favorem haeresis agebantur, uti constat ex aliis quae in hac ipsa historia narrantur. Huc accedit, quod cum multum intercesserit temporis inter Osii lapsum et eius mortem, et Ariani de hoc triumpho magno strepitu gloriarentur, haec ab Athanasio ignorari non potuerunt.

At non solum falsa Athanasius narrasset, si eius essent verba quae ex historia Arianorum supra retulimus, sed neque dici potest ab eo postea addita fuisse; etenim palam sibi contradixisset: quod de tanto Doctore ac Sancto indignum est asserere. Si quae de Osio, in verbis superius adductis dicit, cum iis conferantur, quae

certissime ipse de eodem Osii lapsu scripsit in Apologia contra Arianos, num. 89, manifesta inter ea contradictio apparet. In historia Arianorum Osii lapsum in eo tantum fuisse scribit, quod cum Valente et Ursacio communicaret, at negat sententiae adversus se latae Osium subscripsisse: in Apologia vero eumdem Osium sui damnationi subscripsisse affirmat. Ut id pateat, conferantur cum verbis superius adductis ea quae sequuntur: « Cum autem non solum verbis mihi patrocinati fuerint, sed etiam exilium sustinuerint, ex eorumque numero sit Liberius Romae Episcopus; nam etsi exilii aerumnas ad finem usque non toleraverit, tamen quod conflatam in nos conspirationem probe nosset, biennio in exilii loco est commoratus; cum autem ex eorum numero sit magnus ille Osius cum Episcopis Italiae, Galliarum, et aliis ex Hispaniis, ex Aegypto, et ex Lybia, omnibusque Pentapoleos Episcopis; nam licet ille ad breve tempus Constantis minis perterritus, iis non obsistere videretur, attamen ingens illa vis, atque tyrannica Constantii potestas, nec non plurimae illae contumeliae, et plagae palam faciunt eum non quod reos nos existimaret, sed quod propter senectutis infirmitatem plagas non ferret, ad tempus cessisse. » In hac Apologia concinnanda cum finem sibi proposuit Athanasius, ut ostenderet se a criminibus, quae ab Arianis putidissima calumnia ei obiiciebantur, innocentem esse; ut id consultius conficere possit, inter cetera Liberii, et Osii auctoritatem affert, qui suam causam patrocinati sunt, quique potius exilium aliasque aerumnas sustinuerunt, quam in sui iniustam condemnationem consentirent. De Liberio autem non dicit, Constantio et Arianis obsequutum fuisse, sed tantum affirmat, quod *exilii aerumnas ad finem usque non toleraverit*. Quod verissimum est, quia Constantius romanarum matronarum precibus, et Romani populi clamoribus victus, et Legatorum quos Occidentales Episcopi ad eum miserunt, suasionibus commotus, ab exilio eum revocaverat. At de Osio dicit Athanasius, eum Constantio acquievisse; acquievit siquidem in Athanasii condemnatione, illi subscribendo, prout Constantius exigebat. Ergo affirmat hoc loci, quod in primo negavit.

Clarius etiam sui condemnationi subscripsisse Osium tradit in Lib. de Fuga sua, num. 5. « Hunc tamen tantum virum (Osium) vexare ausi sunt, gnarus quippe cum esset earum, quas impietatis suae causas confingunt, calumniarum, insidiosis eorum adversus nos rescriptis subscribere noluit. Quamvis enim tandem, ob vim plagarum, quibus eum immanissime, et ultra modum lancinarant, et ob conspirationes adversus cognatos eius conflatas; utpote senex et corpore imbecillus ad quoddam corporis spatium illis cesserit; attamen eorum malitia ex iis quoque eorum gestis innotescit. » Primo itaque dicit sententiis adversus se latis noluisse Osium subscribere; et postea addit, eumdem, virium imbecillitate, ac plagis ab Arianorum immanitate illatis victum illis cessisse, nimirum ut totius contextus sensus fert, sui condemnationi subscribendo. Haec autem duo quae attulimus loca, certissime ab Athanasio conscripta fuisse critici probant. Quapropter cum haec quae ab Athanasio certe scripta sunt, contradicant iis quae in historia Arianorum de Liberii et Osii lapsu inveniuntur, ne dicamus Athanasium in apertam contradictionem incidisse, concludendum est, ea ab aliena manu conscripta, et historiae illi superaddita fuisse.

Postremum argumentum quo probat Corgnius quae de Liberii lapsu in historia Arianorum narrantur, postea ab aliena manu superaddita fuisse, est de huius lapsu historicorum illius temporis silentium, qui 40, vel 60 annis post Athanasium scripserunt. Hi sunt Sulpicius Severus, Theodoretus, Socrates, Rufinus, Sozomenus, qui si in illa Athanasii historia Arianorum ea legissent, vel aliqua de eo scripsissent, vel contrarium absque ullo verbo, quo illius narrationis falsitatem indicarent, non affirmassent. Dicendum itaque est eos lanciniam illam, in qua Liberii lapsus fertur, in historia Arianorum non legisse. Neque aliquis dicat, ad illorum manum eam non venisse; id enim supponi non potest de historicis peritissimis qui Arianorum historiam texebant; certum autem est Socratem eam historiam ab Athanasio conscriptam vidisse. Ipse in Hist. Lib. 2, cap. I, adserit, Athanasii libros se nactum fuisse, « in quibus ille suas calamitates deplorat, et qua ratione per calumniam ac fraudem Eusebianorum in exilium missus fuerit, expo-

nit ». Haec autem praecipue et clarius in Arianorum historia Athanasius exponit.

Ex pluribus S. Hilarii locis adversarii Liberii lapsum probare contendunt. Primo haec Hilarii verba obiiciunt ex Lib. contra Constantium num. 11. « Vertisti deinde usque ad Romam bellum, eripuisti illi Episcopum (Liberium); et o te miserum! qui nescio utrum maiore impietate relegaveris, quam remiseris. » Ex postremis hisce verbis Liberii lapsum arguunt; impius enim in eo ab exilio revocando Constantius fuit, quia eumdem ad subscribendum haereticae fidei formulae coegit. At haec Hilarii verba commode in alio sensu accipi possunt. Impius dici potuit Constantius, qui nonnisi post illata Sancto Pontifici gravissima mala, ac post rumorem de illius lapsu perverso ab Arianis sparsum cum Romam remiserat, uti habemus ex Sozomeno. Impius quoque dici potuit, quia ea conditione eius reditum indulsit, ut in communo cum Felice Romanam Ecclesiam administraret, ut Sozomenus narrat Lib. 4, Cap. 15, qua quidem conditione, uti loquitur idem Sozomenus, « Sedes Petri dehonestaretur a duobus simul praesulibus simul gubernata: quod discordiae signum, et ab ecclesiasticis legibus alienum est ».

At variae obiiciuntur Liberii ipsius Litterae, quae in S. Hilarii fragmentis reperiuntur, quae si vere illius essent maximam ingenerarent difficultatem, quia manifeste illius lapsum referunt. Hae sunt, Epistola *Studens paci* in Fragmento IV, Epistola *Pro deifico timore* Fratribus Presbyteris, et Coepiscopis Orientalibus in Fragm. VI num. 5, in eodem Fragmento num. 8, Epistola *Quia scio vos* ad Ursacium, Valentem et Germinium, Epistola *Non doceo sed admoneo* ad Vincentium Capuanum. Verum nunc apud Criticos demonstratum est, haec fragmenta falso Hilario tributa olim fuisse: Dupin, *Bibl. Tom.* 2, *pag.* 89, *Edit. Paris* 1693, existimat, horum fragmentorum Auctorem ignotum ac incerti temporis esse. Card. Perronius in *Lib. Replique à la Reponse du Roi de la Grand Bretagne*, probat opus illud esse vetustissimum, ac eiusdem S. Hilarii aetatis, attamen tribuendum esse alteri Hilario Diacono Luciferiano, vel alteri eiusdem sectae. Ceterum quisquis horum fragmentorum auctor fuerit, conveniunt Baronius ad ann. 352 num. 12 et

sequ., Binius, Natalis Alexander dissert. 32 in Sec. IV, et Benedictini editores Hilarii in notis ad Epistolam *Studens paci*, multa in eo libro ab Arianis apocrypha, ac corrupta addita fuisse.

Dicimus itaque has litteras spurias esse, ac primo supposititiam esse epistolam *Studens paci* ostendimus una cum Baronio, Benedictinis, Dupin loc. cit., Petro Constant. *Epistolarum Roman. Pont. in Append. pag.* 93, 94. Pseudo-Liberius in hac Epistola scribit, sui Pontificatus initio acceptis ab Episcopis Orientalibus litteris, in quibus de gravibus admissis criminibus Athanasius accusabatur, tres ad eum Alexandriam Legatos misisse, eique sub excommunicationis poena Romam venire mandasse; at hisce praeceptis non obtemperante Athanasio, excommunicationis poenam in eum tulisse. Ut manifestum fiat quam falsa haec sint, satis est afferre, quae de eorum intima communicatione, ac unione Liberius et Athanasius dicunt. In sexto Hilarii fragmento Epistola refertur Liberii, in qua ipse de Vincentio Capuano qui missus ad Imperatorem Constantium huius minarum, ac maiorum malorum metu victus Athanasii condemnationi subscripsit, hisce verbis sermonem concludit: « *Post cuius factum duplici affectus moerore, mihi moriendum magis pro Deo decrevi, ne viderer novissimus delator, aut sententiis contra Evangelium commodare consensum* ». Quomodo Liberius in ipso Pontificatus initio haec scribere potuisset, ob Athanasium a Vincentio damnatum tanto dolore correptum esse, ut potius mortem ipsam, quam haec videre optasset, si vera essent quae de excommunicatione Athanasii in Epistola *Studens paci* narrantur? Insuper in V Fragmento S. Hilarii alia extat Liberii Epistola ad Imperatorem data, anno 354, biennio post suam ad Pontificatum exaltationem, in qua narrat, Episcopos Orientales expostulasse, ut a sua communione Athanasium arceret; iis tamen precibus assensum suum denegasse, quia ab Aegypti Episcopis litteras, innocentiam Athanasii testantes acceperat: « Qui fidem, ait, et sententiam nostram non commodavimus, quod eodem tempore octoginta Episcopi Aegyptiorum de Athanasio sententia repugnabant, ... unde contra divinam legem visum est etiam, cum Episcoporum numerus pro Athanasio maior existeret, in parte aliqua commodare consensum ». Haec

quidem contradictoria sunt, iis quae in Epistola *Studens paci* referuntur, ubi damnatum fuisse Athanasium scribitur, eodem tempore, quo ipse Liberius affirmat Orientalibus idem petentibus noluisse *commodare consensum*. Tandem si Liberius Pontificatus initio excommunicationis sententiam in Athanasium dixerat, quomodo in colloquio Mediolani cum Constantio habito in Hist. Lib. 2, c. 16 a Theodoreto, asserere potuit, se Athanasii condemnationi subscribere non posse, inquiens, *neque enim a nobis condemnari potest Vir, quem non iudicavimus?* Profecto in ferenda adversus Athanasium excommunicationis sententia, eum iam iudicasse dicendum est.

At ipse Athanasius his quae a pseudo Liberio narrantur contradicit. S. Doctor in Historia Arianorum num. 35, et 36 narrat, quod Constantius Eusebium Eunuchum Romam misit, ut ad suas partes minis Liberium perduceret; Pontifex firmiter restitit, affirmans, se damnare non posse, quem plura Concilia, et ipsum Concilium a suo praedecessore Iulio Romae habitum innocentem agnoverunt, dicens: « Qui, quaeso, adversus Athanasium id agatur? Nam quem non una solum, sed altera Synodus ex toto Orbe coacta purum innoxiumque declaravit, quem Romana Synodus cum pace dimisit, quo pacto damnare possumus? Quis nos probaturus est, si quem praesentem amanter excepimus, ad communionemque admisimus, absentem aversemur? Non ecclesiastici canonis illud est, nec talem a patribus accepimus traditionem ». Haec apertissima sunt, et nulla observatione indigent, nullo enim pacto cum damnatione ipsius Athanasii iisdem temporibus iam lata conciliari possunt.

Iisdem fere argumentis critici supposititiam esse Epistolam *Scio vos* ostendunt. In hac quoque Epistola commemorat pseudo Liberius, initio Pontificatus se in Athanasium excommunicationis sententiam dedisse, ac scribit: « Cognoscat prudentia vestra, Athanasium, qui Ecclesiae Alexandriae Episcopus fuit, priusquam ad comitatum sancti Imperatoris pervenissem, secundum litteras Orientalium Episcoporum, ab Ecclesiae Romanae communione seperatum esse, sicut testis est omne Presbyterium Ecclesiae Romanae ». Quod falsum esse demonstravimus. At dici potest illis verbis *prius-*

quam ad comitatum etc. suum Roma ad Mediolani urbem adventum indicare noluisse, sed Beraea, exilii loco, Sirmium ubi Imperator morabatur advenisse, illis verbis commemorasse; quapropter non de ea damnatione Athanasii loquitur, quam sub Pontificatus initio, sed de ea, quam Beraea post biennium inflixit; equidem Sozomenus refert Lib. 4 cap. 15. Liberium antequam Romam adeundi potestatem haberet Sirmium ab Imperatore accersitum fuisse. Attamen id admittere non possumus. 1.° Cum haec epistola ad Ursacium, Valentem, et Gorminium scripta dicatur, et hos eo ipso tempore Sirmii commorari ex Sozomeno cit. loc. habeamus, praesumi nullo modo potest ad eos praesentes, litteras misisse. 2. Dicit se Athanasium communione Ecclesiae privasse *teste omni Presbyterio Romanae Ecclesiae*, quae indicant, consilium in hac damnatione ferenda a Romano Clero expostulasse, vel saltem eo adstante ac annuente eam tulisse; sed Beraea solus Liberius fuit. Ergo verba illa cum Baronio de Roma Mediolanum itinere intelligenda sunt. Duas epistolas nothas esse demonstravimus; idem de aliis duabus Epistolis dicendum est, quae ex stylo aliisque adiunctis eundem auctorem habuisse compertum est. Neque ex eo quod illius temporis stylum exhibeant, argui potest eas a Liberio scriptas fuisse; exinde solum sequitur a scriptore illius aevi fuisse exaratas. Tandem uti supra observavimus, Sulpicius Severus qui hisce Hilarii fragmentis in texenda historia usus est, plura, quae etiam incredibilia videntur, in eadem inseruit, tamen de Liberii lapsu, aut, de his litteris ne verbum quidem facit, imo contrarium scribens, Liberii reditum *Romanae seditioni* tribuit. Idem dicendum est de Hilarii anathematismis adversus Liberium ad calcem harum epistolarum adiectis; eos suppositilios esse Baronius ed ann. 357 num. 50, dicit; idem quoque tenent Benedictini in notis ad Hilarii fragm. Col. 1338, et Natalis Alexander probat Dissert. 32 in Sec. IV, artic. 2. Credibile profecto non est Hilarium, qui hoc opus diu post Liberii reditum vulgavit, eo ipso tempore quo Pontifex strenue pro verae fidei defensione decertabat, anathema eidem dixisse. Spuria quoque sunt verba quae in appendice Epistolae *Pro deifico timore* leguntur Fragm. VI, num. 7 nimirum:

« Perfidiam autem apud Sirmium descriptam, quam dicit Liberius Catholicam, a Demophilo sibi expositam hi sunt, qui conscripserunt. Narcissus, Theodorus, Basilius, Eudoxius, Demophilus, Cecropius, Sylvanus, Ursacius, Valens, Evagrius, Hirenius, Exuperantius, Terentianus, Bassus, Gaudentius, Macedonius, Marthus, Acticus, Iulius, Simplicius, et Iunior (requirendum), omnes haeretici ». Haec verba neque ad secundam formulam referri possunt, neque ad primam. Non ad secundam, quia Basilius nec illius formulae Auctor, nec approbator fuit, imo in Synodo Ancyrana eam damnavit; idem dicendum est de Theodoro Heracleensi, qui ante Liberii exilium anno 353 iam obierat. Neque eam conscripserunt, Silvanus Tarsensis Eudoxius, Cecrops Nicomediae, Macedonius, Marcus Aretusius, omnes Orientales, cum secunda formula ab Occidentalibus edita fuerit. Neque referri possunt ad primam, nisi dicatur quod sibi contradixisset Hilarius, quia in Lib. de Synodis hanc ipsam formulam approbat uti catholicam, quam hic haereticalem perfidiam appellat; *perfidiam* ibi eam formulam vocat, quae ab Osio, et Potamio conscripta fuit: ergo quae in hoc fragmento referuntur suppositiia sunt. Neque dicas cum Tillemontio tom. 6 pag. 77. S. Doctorem in Fragmentis formulam a se in libro de Synodis iam probatam, damnasse, quia ea postea Ariani abusi sunt: etenim hanc ipsam rationem in Fragmentis adnotare non omisisset Hilarius, ne sibi contradixisse videretur. Neque autem credi potest, eo ipso tempore, quo acerrime adversus illos qui primae formulae subscripserunt decertabant, Arianos eadem formula pro sui erroris defensione abusos fuisse: recolantur ea quae Seleuciae, et Constantinopoli adversus illos subscriptores primae formulae ab Arianis gesta sunt, et manifestum fiet primam illam Sirmiensem professionem Arianos acerrime oppugnasse: eo autem ipso tempore quo Constantinopoli S. Concilium celebratum fuit, librum de Synodis Hilarius scripsit.

Sunt qui existimant ut Tillemontius loc. cit., Benedictini in Notis ad Fragm. 6, Col. 1337 S. Doctorem in Lib. ad Constantium primam illam formulam damnasse. At primo animadvertendum est, quod in pluribus, uti in Libro de Synodis, locis, S. Doctor eamdem fidei Nicaenae professionem in ea contineri dicit, et Orientales

qui pro ea formula steterunt, appellat *studiosos tandem Apostolicae, atque Evangelicae doctrinae viros*, et alibi ita eos alloquitur: « *unum atque idem, pie sapimus, rogo, ut unum atque idem, quod sapimus, pium inter nos esse velimus* ». Quomodo itaque dici possit, illam eamdem formulam, quam cum doctrina Nicaenae fidei consonam esse dicit, ipsum damnasse non videmus. Secundo si verba ipsa attente perpendantur, nullum illius primae formulae condemnationis vestigium invenietur. Haec sunt Hilarii verba: « Post Synodum deinde Sardicensem, omnem rursum adversum Photinum Sirmium catholicae doctrinae tuae commoves curam. Sed tibi statim hoc, quod utraque fide continebatur, exhorret ». Hic verba refert Canonis Sirmiensis, quae etiam in Symbolo fidei Philippopolitanae seu Pseudo-Sardicensis habentur; postea haec addit: « Tuis ipsis dissides, et adversus tuos hostis rebelles. Novis vetera subvertis, nova rursum innovata emendatione rescindis, emendata autem iterum emendando condemnas. Suscipis etiam adversum deliramenta Osii, emendationum tuarum damnationes; sed mox emendanda tua omnia esse, vel potius damnanda constituis ..... Non calumniamur de rescissis ..... Taceo cur nostra apud Nicaeam a Patribus gesta rescindis ..... hoc tamen quaeso, cur tua damnas? Fidem enim unam et unum baptisma Apostolus praedicat: iam quidquid apud te praeter fidem unam est, perfidia non fides est. » Hic non solum uti observat Corgnius, verbum nullum continetur, ex quo argui potest primam illam formulam Hilarium reprobasse; sed contrarium eruitur. Distinguit enim ibi Hilarius primam ac secundam formulam; primam ita indicat: « *omnem rursum adversum Photinum Sirmium catholicae doctrinae tuae commoves curam* », et redarguens Constantium, qui in cogendo Concilio catholicum se significare voluit, hanc Sirmiensem fidem catholicam fuisse indicat. Duo autem manuscripta, pro *utraque fide* habent *vera*. Secundam vero formulam hisce verbis indigitat: *Suscipis etiam adversus deliramenta Osii:* Quis autem existimare potest *perfidiam* Hilarium vocasse formulam primam, quam catholicam doctrinam continere dicit?

Opponunt quoque adversarii S. Hieronymi auctoritatem, qui in Chronico, haec habet: « *Liberius taedio victus exilii, in haereticam*

pravitatem subscribens Romam quasi victor intravit » ; et in Lib. de Scriptor. Eccles. Tom. 4, 2 part. operis, pag. 133, ita scribit « Fortunatianus natione Afer Aquileiensis Episcopus imperante Constantio . . . . . in hoc habetur detestabilis, quod Liberium Romanae Urbis Episcopum pro fide ad exilium pergentem primum, sollicitavit, ac fregit, et ad subscriptionem haereseos compulit. .

S. Doctor sanctitate ac scientia in exponendis praesertim Sacris Litteris praeclarus, in historicis factis texendis non semel deceptus,* etiam de iis, quae suo tempore contigerunt falsa narravit: ex. gr. quae de Magno Meletio Antiocheno Antistite falso per invidiam spargebantur, vera esse existimans cum uti Arianum habuit: multo magis igitur de Liberio post triginta annos ab eius reditu in Oriente scribens, ubi ab Arianis eius lapsus mendacissime praedicabatur, hallucinari potuit. His accedit, quod Tillemontius *Tom. XII art. 20 de S. Hieronymo pag.* 53 post Scaligerum hanc sententiam de Chronico tradit, vix librum alium inveniri posse, cuius tum Editiones, cum manuscripti Codices imperfectiores sint, ac pluribus mendis scateant, ut Hieronymi Chronicon. Ea autem quae de Liberio in eo referuntur, ab aliena manu addita fuisse ex pluribus argui potest. Primo dicitur Liberius quasi victor Romam intrasse; et quomodo dici potest victorem eum fuisse, si gravi admisso *in haereticam pravitatem subscribens* facinore, et Imperatoris voluntati acquiescens ab exilio reditum obtinere potuit? Secundo in vetustissimo huius Chronici Vaticano exemplo, uti eruditus Mamachius monet, nullum de Liberii lapsu, prout in aliis Chronici Codicibus legitur, verbum invenitur. In alio antiquissimo quoque Codice Lucensi nullum huius lapsus vestigium apparet, prout his verbis tradit Mansius in Notis Natalis Alexandri, Dissert. 32, Sect. IV, Art. I: « In Chronico S. Hieronymi ibi descripto haec leguntur: *Olimpiad. CCLXXII Romanae Ecclesiae XXXIV ordinatus est Liberius, quo in exilium ob fidem truso* (relinquitur post haec locus vacuus uni vel alteri voci excipiendae aptus) *clerici iuraverunt, ut nullum alium susciperent. Verum cum Felix ab* (hic persimile spatium vacuum est) *sacerdotium sub*, cetera desunt, vacuusque locus duarum linearum cernitur. Post haec ad alia divertit Chronicon. Nihil

hic erasum conspicitur, sed locus est purus, angustior tamen, quam ut omnia continere possit quae in editis leguntur ». Nullius igitur ponderis sunt, quae ex Chronico obiiciuntur.

Nullius quoquo auctoritatis sunt quao in citato Catalogi loco de Liberii lapsu narrantur, cum manifeste falsa ibi referantur. Fortunatianns detestabilis ibi dicitur, quia in hanc haereseos subscriptionem Liberium compulit, quae manifeste ipsum haereticae pravitati adhaesisse indicant: at cum iis quae certissima documenta de Fortunatiano testantur, nullimode componi queunt. Fortunatianus catholicae fidei ante Concilium Mediolanense addictissimus, ac eius fidei acerrimus defensor fuit; ac ipse Liberins ad Eusebium Vercellensem ita de eo scribit (*Constant. RR. PP. Epist. Parisiis* 1721, *col.* 428). « Etiam ad fratrem, et Coepiscopum nostrum Fortunatianum, quem sciebam nec personas hominum vereri, et futura magis praemia cogitare, litteras erogavi, ut ipse pro sinceritate pectoris, et pro fide quam se scit etiam cum discrimine vitae praesentis custodiisse, etiam nunc vobiscum dignaretur excubare.» Ex Athanasio autem Apolog. ad Constantium num. 27 habemus, hunc strenuum fidei defensorem in Concilio Mediolanensi, in quo nulla proposita ac subscripta formula fuit, intentatis minis, gravissimis iniuriis ac violentia solum fuisse adductum, ut cum Athanasio se communicaturum promitteret: et nullum monumentum extat quo probari possit eum Arianae, vel Semiarianae haeresi adhaesisse. Quis itaque credere potest Fortunatianum qui haereticae pravitati fortiter restitit, Liberium ad haeresis subscriptionem quam ipse ederat, compulisse?

Quae itaque de Liberii lapsu in Chronico Hieronymiano, et in catalogo referuntur, cum tam graves exceptiones patiantnr, nil detrahere possunt auctoritati Sulpicii Severi, Socratis et Theodoreti qui Liberii ab exilio reditum aliter, uti vidimus, narrant. Haec quae adversus Liberii innocentiam argumenta proferuntur, graviora sunt; alia quoque sed valde leviora his adduntur; ut videri possunt refutata a citatis Auctoribus praesertim a Franc. Ant. Zaccaria in cit. dissert. prope finem.

Mirandum tandem non est si inter varias, quas gravissimi Theologi ad Liberium a lapsu in fidem purgandum vias sequuti sunt, eam inivimus, quam recentiores ingressi sunt, primus Corgnius in cit. Dissert. ac postea ex Bollandianis doctissimus P. Stiltingus *Tom.* 5, *Mens. Septemb.* ac eruditissimus Zaccaria; argumenta enim ab hisce Auctoribus in medium adducta, et summatim a nobis exposita, videntur tam gravia, ut omnem de gloriosissimi, ac sanctissimi huius Pontificis lapsu dubitationem prorsus adimant, ac ostendant per tot saecula receptam de eius lapsu historiam inter fabellas esse amandandam, quae a malis Arianorum artibus invecta ac divulgata fuit, ad suae sectae favorem conciliandum, quando Sanctus Pontifex ab exilio rediit: neque difficile fuit iis praesertim in Oriente ubi haeresis tam late grassabatur, per suas asseclas hanc opinionem disseminare, ac confirmare. Attamen non impedire potuerunt, quominus iis ipsis temporibus veritas elucesceret; hinc gravissimi Historici Sulpicius Severus, Socrates, Theodoretus, Cassiodorus quorum testimonia adduximus, tanti Pontificis historiam ita narrant ac tot nominibus eum laudant, ut cuiuscumque lapsus suspicionem excludant; Rufinus ob sparsos de lapsu rumores incertus manens veritatem cognoscere non potuisse fatetur, et Sozomenus et Nicephorus falsos de eius lapsu rumores sparsos fuisse edicunt.

Neque dicas nostrum argumentum negativum esse, utpote ex silentio illorum scriptorum circa Liberii lapsum deductum; non enim eius lapsum tantum ipsi tacent, sed ita rem narrant, ut positive eum excludant; cum et eius ab exilio reditum alteri causae tribuant, et victorem eum appellent et gloriosum aliisque laudis nominibus eum prosequantur quae cum eius lapsu convenire prorsus nequeant. Optime autem observat Zaccaria *in cit. dissert. Cap.* 9, *num.* **1**, quod ipse « Bellarminus ingenue fateatur, Sulpicium, Socratem, Sozomenum et Nicephorum indicare Liberium semper eundem fuisse, nec umquam de fidei constantia aliquid remisisse. Quod si nihilominus Bellarminus oppositae sententiae adhaesit, ab interpolatis, falsisque Athanasii, Hilarii, ac Liberii testimoniis deceptus est, ut nostrae sententiae ipsum victas manus daturum fuisse certum mihi sit, si eorum testimoniorum corruptionem, ac νοθείαν diligentius ex-

plerasset ». Exploratum hodie est, quandoque ab haereticis Sanctorum Patrum scripta vel aliqua ex parte vitiata fuisse, vel diversis auctoribus tributa, dum eorum Auctor in vivis erat; sic in Sermone Athenis habito questus est Origenes a suis testibus sua scripta adulterata fuisse; et PP. Benedictini in appendice ad editiones SS. Patrum aliis Auctoribus plura opera restituunt, quae Sanctis Patribus tributa per tot saecula fuerunt: ita quoque Bollandiani falsa Sanctorum Martyrum acta a veris dispescunt et varias Sanctorum historias, quas per plura saecula simplex populorum credulitas veras habuit, inter fabellas esse accensendas ostenderunt,

ARTICULUS III.

Argumentum ex Vigilii agendi ratione in controversia trium Capitulorum depromptum diluitur.

Pontificiae supremae auctoritatis in definiendis fidei ac morum controversiis infallibilitatis detractores validissimum argumentum pro sententia ab eis propugnata obtinere putant ex iis quae in celebri trium Capitulorum controversia a Vigilio acta sunt. Ut clarius, quam facile hi decipiantur, demonstremus, paucis verbis huius controversiae historiam exponere duximus. Imperator Iustinianus, opera praesertim Patriarchae Constant. Mennae et Pelagii Ecclesiae Romanae diaconi et Apocrisarii decretum de damnatione Origenis, et illius errorem anno 343 condidit, cui nedum alii orientales Patriarchae sed et ipse Pontifex Vigilius aliique Episcopi adhaeserunt. Theodorus Caesariensis Episcopus acerrimus Origenis defensor, ut vindictam propter hanc condemnationem de Pelagio sumeret, et simul ut Concilii Chalcedonensis auctoritati, quae apud Vigilium aliosque occidentales maxima erat, aliquo modo detraheretur, persuasit Iustiniano, ut iis correctis quae a Chalcedonensi Concilio in tribus Capitulis acta fuerunt, praecipuum impedimentum tolleretur, ad pacem cum Acephalis conciliandam, atque ita facile hi Concilio Chalcedonensi subscriberent. Haec erant tria Capitula quae Concilii actis contraria videbantur: condemna-

tio memoriae Theodori Mopsuesteni, Nestorii magistri, ac Origenis acerrimi impugnatoris, quem in Epistola ad Marin Persam Iba Edessenus laudaverat: proscriptio huius Ibae Episcopi edesseni Epistolae, in qua Cyrillum Alexandrinum, ac eius scripta contra Nestorium graviter accusat, Theodorum Mopsuestenum laudibus extollit, ac Ephesini Concilii sententiam contra Nestorium absque examine latam dicit: condemnatio Theodoreti, Cyrensis Episcopi, libri adversus duodecim S. Cyrilli anathematismos, in quo ipsius personae Nestorii defensio suscipiebatur.

Diximus haec tria Capitula visa fuisse approbata in Concilio Chalcedonensi, quia vere approbationem non obtinuerunt. Etenim, quod ad Theodorum Mopsuestenum spectat, Concilium IV, prout fecit Ephesinum I, ab eius condemnatione se abstinuit, quod longe distat ab approbatione, neque impediebat, quominus eadem persona ab alio Concilio damnaretur. Epistola vero Ibae a Concilio iudicata non fuit, neque uti catholica probari poterat, cum in ea Ephesini Concilii auctoritas perstringebatur, ob Nestorii praecipitem condemnationem sine examine latam atque doctrina in ea erat Concilii Chalcedonensis menti prorsus contraria: unde Pontificis Legati, *relecta eius epistola agnovimus, eum orthodoxum*, dixerunt, quae verba non ad epistolae approbationem, sed ad illius personae referuntur. Iba vero uti catholicus a Concilio fuit receptus, tum quia Nestorio anathema dixit, tum quia S. Leonis Epistolae subscribendo veram fidem professus est, tum quia illa respuit, quibus S. Cyrillum culpaverat. Videantur Concilii IV Acta. Tandem Theodoretus quoque inter Patres susceptus fuit, nonnisi postquam adversus Nestorium eiusque errores anathema dixisset, atque ita quae pro Nestorio, et contra S. Cyrillum in suis scriptis dixerat, hac ratione retractasset.

Placuit Iustiniano Theodori Consilium et Edictum anno 545 adversus tria Capitula promulgavit, ac Patriarchis misit, ut illorum condemnationi subscriberent. Mennas Constantinopolitanus ea conditione subscripsit, ut sibi fieret Chirographi restitutio, si haec Romanus Episcopus non probaret: Patriarcha Alexandrinus Zoilus, Euphremius Antiochenus, et Petrus Hierosolymitanus exauctora-

tionis metu et plures alii a Menna coacti subscripserunt. At Occidentales strenue Imperatoris Edicto restiterunt. In tanta Episcoporum commotione Concilium in regia Constantinopolitana Urbe indixit Iustinianus, specie, ut ad Ecclesiae fidem Acephali reducerentur, reapse vero eo fine, ut trium Capitulorum condemnatio Sedis Apostolicae auctoritate confirmaretur. Ad Synodum Vigilium evocavit, qui studens paci, aegre Constantinopolim perrexit, ubi statim adversus Acephalos licet a Theodora Augusta defensos, Decretum promulgavit; Mennam communione privavit, quia metu incusso ad subscribendum Imperatoris Edicto Episcopos induxerat, a qua poena, intercedente Imperatore, post quinque menses eum absolvit. Postea anno 548 Iustiniano Vigilius indulsit, ut in Conventu septuaginta Episcoporum trium Capitulorum controversia tractaretur; at cum in unam sententiam convenire Episcopi non possent, causam ad se revocavit, et eorum suffragiis scripto acceptis *Iudicatum* ad Mennam dedit, *quo salva in omnibus reverentia Synodi Chalcedonensis* tria Capitula condemnavit. Hoc Iudicatum gravium perturbationum causa fuit, praesertim ex falsis rumoribus a Rustico et Sebastiano Ecclesiae Romanae Diaconis, Vigilium comitantibus, sparsis, quos in poenam gradus sui honore, et ministerio Pontifex privavit; haec damnationis sententia in Collatione septima Concilii V producta in Synodi Actis legitur. Ad pacem conciliandam Pontifici, ac Imperatori visum est Synodum oecumenicam convocare, quam Iustinianus Constantinopoli coegit. Interea Vigilius a Menna Iudicatum recepit, ac silentium de hac controversia sub excommunicationis poena imposuit.

Occidentales, paucissimis exceptis, ad Concilium venire recusarunt, Vigilius se absque eorum interventu aliquid decernere nolle protestatus est; hac mora pertaesus Imperator anno 551 iussit, ut suum Edictum adversus tria Capitula publice proponeretur, ac in Ecclesia Constantinopolitana suspenderetur. Fortiter restitit Vigilius ac excommunicationis poenam adversus eos indixit, qui Edicto consentire praesumpserint. Propter hanc animi in suis vindicandis iuribus constantiam gravissima mala sibi a Iustiniano illata passus est. Sed tandem cum eius fortitudinem Iustinianus vin-

cere non posset, Edictum revocavit atque totam controversiam futuro Concilio pertractandam reliquit. Interea mortuo Menna, ei in Patriarchatu successit Eutichius monachus, qui Libello Fidei Vigilio oblato, eum rogavit, ut trium Capitulorum controversiae in Synodo finis imponeretur. Ea conditione Vigilius hisce votis annuit, ut aequali numero Latinorum ac Graecorum Antistitum, haec controversia tractaretur; at Imperator hac pacta conditione minime servata, Synodum nonas Maii coegit. In ea centum sexaginta quinque Patres, pene omnes orientales, convenerunt, paucissimi aderant occidentales, et in prima Sessione lectum est Principis mandatum, quo de tribus Capitulis, iam in Iudicato a Vigilio damnatis, ad iudicium ferendum Episcopi excitabantur. Iam vero Imperator, ac Patres ignorare non poterant, Concilium oecumenicum non esse, nisi Summus Pontifex vel per se, vel per suos Legatos illi praesit; hinc Vigilium enixis precibus rogarunt, ut ad Synodum ad pertractandam trium Capitulorum causam conveniret; at Vigilius ob non servatam de aequali Latinorum et Graecorum Episcoporum numero conditionem constanter ad Synodum venire recusavit. Interea celebre *Constitutum* edidit, in quo damnatis erroribus Theodori Mopsuesteni eius memoriae parcendum esse statuit; quod vero ad Ibam et Theodoretum spectat, qui in Concilio Chalcedonensi absoluti, et recepti fuerunt, nihil innovandum esse indixit, ac ut ab omnibus de tribus Capitulis ita sentiendum esset, iussit. Constitutum editum fuit post quintam Concilii Collationem die 14 Maii, et in Collatione septima habita die 20 Maii statutum fuit, ut in altera die ultimum de Tribus Capitulis iudicium esset ferendum. Tandem Collatione octava, quarto nonas Iunias celebrata, condemnationis sententia adversus Tria Capitula lata fuit.

Certum est Vigilii Constitutum in eo ferendo iudicio Concilii Patres penitus ignorasse, nullibi enim de eo in Synodi Actis mentio fit, e contra in Collatione septima Vigilii Iudicatum lectum fuit, atque etiam lecta fuit, adversus Rusticum et Sebastianum Iudicati adversarios, sententia a Vigilio lata, ac eius epistolae relatae fuerunt ad Episcopos, Valentinianum, et Aurelianum scriptae. Huius

ignorantiae causa utrum ex malitia Imperatoris repetenda sit, qui ne condemnationi Trium Capitulorum Constitutum impedimento esset, illud occultaverit, an potius ex eo quod illud nondum accepisset, res incerta manet. Eodem autem anno Vigilium Concilium quintum, et trium Capitulorum condemnationem liberrime probasse, et falsum esse quod plures scriptores Latini tradiderunt, Pontificem ob denegatam Concilii approbationem in exilium pulsum fuisse, ac tandem exilii malis victum Capitula damnasse, inferius demonstrabimus.

Exposita summarie huius controversiae historia nostri muneris est ab impactis calumniis Vigilium vindicare, et oppugnationibus respondere, quae Romanorum Pontificum dignitatis osores ad imminuendam Romani Pontificatus auctoritatem ex hac controversia eruere praesumunt. Protestantes Vigilium in fidei definitione errasse dicunt, quando in suo Constituto trium Capitulorum defensionem suscepit. Ianseniani cum in facto dogmatico deficiendo errasse contendunt; etenim dicunt, vel in Iudicato erravit, condemnans ea quae merebantur absolvi, vel in Constituto ea absolvens ac defendens quae condemnanda erant, tandem iterum eorum condemnationi post Concilium consentiens erravit. Alii Vigilium in hac sua agendi ratione timiditatis et inconstantiae accusant, cum de eadem re iudicium suum mutaverit, ac sibi ipsi contradixerit. Tandem non desunt, qui Episcopos in Concilio coactos Pontifici Summo superiores esse contendentes, ab iis quae in Concilio V gesta sunt, argumentum pro sua sententia validum desumere putant, ex eo quod licet Romanus Pontifex Synodo vel per se vel per suos Legatos interesse noluerit, et in Constituto sententiam in favorem trium Capitulorum tulerit, attamen Concilii Patres, ea praeterhabita, Capitula damnationis poena mulctarunt, et huic condemnationi Vigilius assentiri coactus est.

Quoad primam Protestantium calumniam facillime ea refellitur, si inspiciatur Constitutum; in eo expressis verbis Nestorianam et Eutichianam doctrinam Vigilius damnat, et execratur, et dogma catholicum apertissimo asserit; quod si a condemnandis tribus Capitulis velle se abstinere dicat, id prudenti oeconomiae tribuendum est, quam iis in circumstantiis servandam esse existimaverat. Nulla

profecto fidei definitio in hac controversia a Vigilio edita invenitur; nullus in fide error a Vigilio in hac controversia assertus reperitur, nullus tandem error a Vigilio prolatus a Protestantibus in medium afferri potest.

Facili quoque ratione Ianseniani refelluntur, qui Vigilium in facto dogmatico errasse dicunt. In facto dogmatico errare, prout ad rem nostram pertinet, est asserere in aliquo libro seu in aliquo opere catholicam doctrinam contineri, quae haeretica est, vel denegare haereticam in eo contineri, quae reapse in eodem reperitur. At nullum de orthodoxia eorum quae in scriptis Theodori Mopsuesteni, in Epistola Ibae, et Theodoreti reperiuntur, a Vigilio iudicium latum est. Tota haec causa non de fide fuit, sed de personis In ea pertractatum est, ut ipse Vigilius in Epistola, quam ad Patriarcham Eutichium misit, et quam Concilium V probavit, apertissime declaravit. Initio Epistolae conqueritur Pontifex, quod inimicus hominis discordiam ac scandala in mundo universo promoverit, atque inter eos, qui *aequali reverentia quatuor Synodos* vindicabant, *et qui in una eademque quatuor illarum Synodorum fide sincere persistebant,* dissidium excitaverit, « *ita ut nosmetipsi qui eiusdem cum illis eramus, et sumus de fide sententiae, insuper habita dilectione fraterna in discordiam abierimus* ». Non igitur de fide, in qua omnes convenerant, sed de personis tota controversia erat. Si itaque ipse Vigilius declaraverit quaestionem de fide movere noluisse, quomodo dici potest in facto dogmatico definiendo errasse? His concinunt ea quae in Epistola ad Childebertum Francorum Regem Pelagius II scribit, dicens Iustiniano Imperatore in Oriente quaestionem de tribus Capitulis agitatam fuisse *extra fidem.* Id ipsum refert S. Gregorius Magnus in Epist. ad Episcopos Istriae, qui ait in quinta Synodo *de quibusdam solummodo personis actum esse.*

At quod dubitationem omnem tollit, est ipsum Vigilii Constitutum. Porro si in facto dogmatico definiendo Vigilius erraverit, erronea haec definitio nonnisi in Constituto est requirenda; tria enim sunt solemnia Acta in hac controversia a Vigilio edita, Iudicatum, Constitutum, et Epistola ad Eutichium Patriarcham Constantinopolitanum, qua solemniter Concilium V approbavit. In Iudicato, et in

Epistola, quibus Actibus tria Capitula damnavit, erronea definitio inveniri non potest, alias ipsum Concilium in iis condemnandis errasse dicendum esset, quod certe adversarii non asserunt; ergo in solo Constituto, in quo illorum patrocinium quodammodo suscipitur, est ea inquirenda. At si totum hoc documentum attente ad examen revocetur, talis definitio minime invenietur; imo totum spirat Vigilii erga veram fidem vehementem amorem, haereticae pravitatis maximum horrorem, erga Chalcedonensem Synodum omnem observantiam et reverentiam, propter quam iis parcendum esse sentit, quibus veniam Concilium indulsit. Hoc Constitutum videri potest apud Labbé Sacror. Concil. Tom. V, Col. 1317. In eo exposita primo fidei professione Mennae, Theodori, aliorumque Episcoporum ad Sanctum Euphemiae templum edita, et sibi ab eis oblata, conditionem memorat a se impositam, ut exaequato Latinorum, et Graecorum numero inquit, *de tribus capitulis, ex quibus quaestio vertitur, secundum superius designatam fratrum nostrorum Episcoporum professionem deberemus inire tractatum;* ac conqueritur contra pactam conditionem coactum fuisse hac de re pertractanda Concilium. Postea vero sexaginta Theodori Mopsuestemi sententias, seu, ut ipse dicit, *dogmata quaedam in prima chartacei voluminis parte* per Benignum Episcopum ab Imperatore ad se transmissa, *iacentia* refert; dicens « quorum tenor secundum intellectum subter expositum ad excludendum totius ambiguitatis errorem praesenti definitioni nostrae tenetur insertus, plena execrabilibus blasphemiis, et orthodoxae fidei (quae secundum Evangelicam Apostolicamque doctrinam a sanctis quatuor Synodis Nicaena, Constantinopolitana, Ephesina, atque Chalcedonensi, probabiliter atque irreprehensibiliter, Sancti Spiritus operante praesentia, legitur definita), et valde inimica esse perspeximus, et procul a christianis sensibus repellenda. » Hinc sua sententia ea damnat, ac anathematizat.

Damnatis Theodori erroribus, ab eius personae, ac nominis damnatione sex propositis argumentis abstinendum esse declarat. Haec argumenta sunt. 1° Quia: « Investigantes advertimus beatae recordationis Cyrillum Alexandrinae civitatis Antistitem de persona Theodori iam mortui Episcopi, Ioanni reverendae memoriae Antio-

chenae civitatis Episcopo, vel Orientali Synodo ad eius litteras rescribentem inter alia ita tradidisse: Quae prolata est in Sancta Synodo Ephesina definitio, veluti a Theodoro disposita, sicut offerentes dicebant, nihil habens sanum, evacuavit quidem eam Sancta Synodus velut perversarum plenam intelligentiarum, condemnans item eos, qui sic sapiunt. Dispensatim vero memoriam viri non fecit, neque eum nominatim anathemati subdidit, neque alios. » 2° Quia ipsa Ephesina Synodo nullam adversus Theodorum Mopsuestenum sententiam tulit. « Ipsam vero, ait, Synodum Ephesinam primam sollicite recensentes nihil de Theodori Mopsuesteni persona referre comperimus. » 3° Quia delato ad Ephesinam Synodum Theodori nomine ab iis qui Symbolum eius nomine vulgaverant, prosequitur « Beatum Cyrillum hoc quod per litteras profitetur a prolatoribus scilicet Symboli, iam defuncti Theodori Episcopi nomen fuisse delatum, sua providentia ecclesiasticam moderationem circa mortuum sapientia sacerdotali servantem, noluisse nomen eius, ne monumentis quidem Synodalibus, propter regulam, quae de mortuis in Sacerdotio servanda est contineri...... Grave est enim insultare defunctis, vel si laici fuerint, nedum illis qui in Episcopatu hanc vitam deposuerunt. » 4° « Quia in sancto ac venerando Chalcedonensi Concilio aliquid de saepius designati Mopsuesteni Theodori nomine, invenimus statutum vel dictum esse contrarium, dum in relatione quam eadem veneranda Synodus piae memoriae Marciano tunc Imperatori transmisit...... Mopsuesteni Episcopi persona, ne post mortem damnari deberet, excusatur. » 5° Auctoritate summorum Pontificum S. Leonis *in Epist. ad Theodorum Episcopum Foroiuliensem*, et Gelasii *in Epist. ad Episcopos Dardaniae* in causa Acacii probat Vigilius defunctos damnandos non esse, *qui minime reperiuntur in vita damnati*. Dicit vero hanc regulam servatam fuisse cum sancto Ioanne Chrysostomo, ac Flaviano Episcopis Constantinopolitanis, « qui licet violenter exclusi sunt, non tamen pro damnatis sunt habiti, eo quod semper inviolatam eorum communionem Romani Pontifices servaverunt, nec abscindi ab Ecclesia dici potuerunt, vel poterunt, quos sibi inconvulse unitos Apostolica iudicavit auctoritas. » Tandem ad id recurrit, quod in Historia Eusebii Pam-

philii legitur: Dionysium scilicet Alexandrinae civitatis Episcopum, noluisse Nepotem Aegypti Episcopum Millenarium, iam in pace Ecclesiae defunctum damnare; et licet post eius mortem ad se pervenisset, « quod tota Egyptus ipsos libros quos Nepos reliquerat, veluti magnum aliquod et occultum mysterium se habere putaret..... Dionysius, destruxit eosdem libros atque overtit. Nepotem vero qui eos scripserat, propter hoc maxime, quia iam defunctus fuerat, nulla sit aggressus iniuria ». Hisce expositis rationibus de persona Theodori Mopsuesteni concludit: « *Eum nostra non audemus damnare sententia,* sed nec ab alio quopiam condamnari concedimus. Absit tamen ut suprascripta capitula dogmatum, quae secundum subiectos intelligentiae sensus a nobis constat esse damnata, vel quaecumque dicta cuiuslibet sine nomine praenotata, evangelicis tamen et apostolicis, ac quatuor Synodorum Nicaenae, Constantinopolitanae, Ephesinae primae, atque Chalcedonensis, et Apostolicae Sedis non congruentia consonaque doctrinis, non solum sensu, sed vel etiam aure patiamur admittere ».

In his quae de primo Capitulo Vigilius in suo Constituto tradit, ne vestigium aliquod erroneae definitionis in facto dogmatico apparet. Errores, qui in scriptis Theodori Mopsuesteni continentur, damnantur et execrantur, illius tamen iamdiu defuncti nomini, gravissimis adductis rationibus, parcendum esse declarat. Profecto indultae veniae rationes tam graves nobis videntur, ut nisi Theodori auctoritate haeretici abusi fuissent, illius nomen a Concilio V damnatum forsam non fuisset. At supervenientibus ac mutatis circumstantiis eius nomen omni iure damnare potuit Concilium, eiusque condemnationem Vigilius confirmare; tum quia in suo Symbolo Theodorus asserit, Christum purum hominem esse, et Filium Dei non natura, sed adoptione, et gratia: unde S. Cyrillus in Epist. ad Proclum *nihil* dicit *sanum hoc symbolum habere, et Nestorianae impietatis quasi scaturiginem esse;* tum quia alia eius scripta erroribus contra fidem scatent; unde merito S. Cyrillus in Epist. ad Clericos, et Lamponem Praesbyterum ait: « In codicibus Theodori de Incarnatione multo peiores Nestorii blasphemias positas esse: Pater enim fuit Nestorii perfidiae ». At Concilium Chalcedonense et Vigilius in Con-

stituto hisce haeresibus execratis, ob quandam oeconomiam eius memoriae parcendum esse duxerunt.

Postquam in Constituto de Theodoro loquutus est, de Theodoreto eiusque scriptis agit Vigilius, ac dicit, accusatum eum a Dioscoro et Aegypti Episcopis, quod Cyrillum anathematizasset, ac haereticus esset; adeoque haec Sancti Patres audientes, diligentissime eodem Theodoreto posthac examinatione discusso, et praesente a praesentibus inquisito, nihil aliud ab eo exegisse noscuntur, nisi ut statim Nestorium, eiusque impia dogmata anathematizaret, ac damnaret, hoc sibi tantummodo sufficere iudicantes, quod ille coram *universo Concilio faciens,* Nestorium cum dogmatibus suis, universis Patribus audientibus, clara voce damnaret. Cum autem Theodoretus Nestorium eiusque prava dogmata damnasset, indignum esse dicit Vigilius ac Chalcedonensi Synodo iniuriosum, *quaedam Nestoriana dogmata nunc sub eius sacerdotis nomine condemnari.* Quod vero spectat ad anathematismos adversus S. Cyrillum a Theodoreto prolatos, fortasse Patres, dicit Vigilius, exemplum S. Cyrilli sequuti sunt, qui post multa, et gravia contra se ab Orientalibus apud Ephesum scripto gesta, tempore, quo cum ipsis in concordiam remeavit, tanquam si acta non fuissent, pacis amore silentio dereliquit. Post haec ita decernit Vigilius: « Hac ergo veritate perpensa, statuimus atque decernimus, nihil in iniuriam atque obtrectationem, probatissimi in Chalcedonensi Synodo viri, hoc est Theodoreti Episcopi Cyri, sub taxatione nominis eius a quoquam fieri, vel proferri, sed custodita in omnibus personae eius reverentia, quaecumque scripta, vel dogmata eius cuiuslibet nomine prolata sceleratorum Nestorii, atque Eutichetis manifestantur erroribus consonare anathematizamus atque damnamus ». In hoc quoque secundo Capitulo qualiscumque desideratur facti dogmatici definitio, ac solum damnatis erroribus qui in Theodoreti scriptis inveniri possunt, rationibus quidem non contemnendis innixus decernit Pontifex a condemnatione nominis Theodoreti abstinendum esse, quem postquam Nestorium eiusque dogmata damnaverat, Concilii Chalcedonensis Patres receperunt.

Quod ad epistolam Ibae spectat, refert ea quae in Concilio Chalcedonensi hac de re pertractata sunt, et ob reverentiam tantae Synodi iis firmissime adhaerere declarat, quae ab ea Synodo circa Epistolam, et Ibae personam constituta fuerunt. Loquens Vigilius de hac Epistola primo dicit, se diligenti investigatione quaesivisse, quid de ea priscis temporibus apud Patres agitatum, vel quaesitum fuisset, ac Synodi Chalcedonensis acta diligentissime perquirentem se invenisse in duobus eiusdem Synodi Actionibus de Ibae negotio pertractatum fuisse, et *inter cetera prolatam fuisse contra eum ab accusatoribus* eius epistolam ac tandem totius causae disceptatione consummata, ad sententiam Patres Concilii processisse. Postea refert, ipsis verbis a Concilii actis desumptis has sententias: « Paschasinus, et Lucentius reverendissimi Episcopi, et Bonifacius Praesbyter tenentes locum Sedis Apostolicae, per Paschasinum dixerunt: Relectis chartis, agnovimus ex sententia Reverendissimorum Episcoporum, Ibae reverendissimum innoxium approbari: relecta enim eius epistola agnovimus eum orthodoxum. Et ob hoc decernimus ei honorem Episcopatus restituendum, et ecclesiam, a qua iniuste et absens expulsus est, reparandam — Anatolius reverendissimus Episcopus Constantinopolis novae Romae dixit: Dei amantissimorum Episcoporum, et iudicum fides, ac lectio omnium horum quae sunt subsequuta, demonstrant innoxium Ibam reverendissimum ab accusationibus quae illatae sunt in eum: unde omnem in praesenti suspicionem abiicio, quoniam consentit, et subscribit ei quae nunc de fide sententia data est a Sancto Concilio et Epistolae Sanctissimi Archiepiscopi Romae Leonis, et dignum eum iudico Episcopatu, et habere curam, in qua pridem consistebat, Ecclesiae. — Reverendissimus Archiepiscopus Antiochenus dixit: Ex iis quae modo relecta sunt, constitui manifestum esse quia ab omnibus ei illatis Reverendissimus Ibas innocens est repertus: ex relecto vero rescripto epistolae, quae probata est ab eo qui adversarius eius existit, orthodoxa est eius declarata dictatio. » Post haec quae ex Calcedonensis Synodi actis Vigilius ad verbum depromsit, ita prosequitur: « His igitur in Sanctae Chalcedonensis Synodi iudicio, dispositioneque iacentibus, et ita vicariatum Sedis Apostolicae

venerandorum praesulum sustinentium, et celerorum Patrum interlocutionibus declaratis, evidenter advertimus, quod ab his, qui in eadem S. Chalcedonensi Synodo locum beatissimi praedecessoris nostri Papae Leonis tenuisse noscuntur, dictum sit: *Relecta eius epistola agnovimus eum esse catholicum:* et ab Anatolio Constantinopolitano dictum sit: *Lectio omnium quae sunt subsecuta, demonstrat innoxium Ibam reverendissimum ab iis quae in eum accusatores intulerant;* a Maximo vero Antiocheno dictum sit: *Ex relecto scripto epistolae, quod perlatum est ab adversario eius, catholica est eius declarata dictatio;* quorum interlocutionibus celeri Episcopi non solum non contradixisse, verum etiam apertissimum noscuntur praebuisse consensum. Propter praedicationem fidei, per quam venerandae recordationis Cyrillus Alexandrinus Episcopus, et rev. Ioannes Antiochenus Antistes, atque omnes orientales Episcopi per Paulum Emesenae civitatis Episcopum ad concordiam redierunt quam Ibas quoque in eadem epistola laudans, libenter amplectitur, orthodoxa est Ibae Episcopi a Patribus pronunciata dictatio. » Postea loquitur Vigilius de anathematismis adversus Cyrillum in eadem epistola illatis, quae coram Concilii Patribus Iba retractavit. In postrema vero Constituti parte docet, maximum obsequium ac reverentiam exhibendam esse Synodo Chalcedonensi, ac nefas esse quae in eo constituta fuerunt, perfringere, ac retractare, et relatis iis quae pro Sanctae illius Synodi integritate et Leo et Simplicius Pontifices egerunt, ita Epistolam suam concludit: « Ecce venerabilis Imperator, luce clarius demonstratur, hanc nos habuisse semper in sanctarum quatuor synodorum reverentia voluntatem, et quaecumque a sanctis Patribus in eisdem considentibus definita vel statuta sive iudicata sunt, intemerata permanere. Manentibus ergo omnibus, quae de epistola Ibae personaque eius in sanctorum Patrum, et Sedis Apostolicae vicariorum interlocutionibus continentur, illud nobis omnibusque catholicis aequali voluntate sufficiat, quod illi sibi sancta Synodus sufficere posse clamavit, dicendo: Nestorium, ut eius dogmata modo anathematizaret: quo anathemate nefandissimorum Nestorii, et Eutychetis ab Iba Episcopo toties iterato, totius satisfactum esse Synodi voluntati ». Ex his quae

ex ipso Constituto retulimus, manifestissime apparet quoad Ibae epistolam nullam iudicialem sententiam suam dedisse Vigilium, sed tantum a Chalcedonensi Synodo in hac causa prolatum iudicium firmum manere voluisse, ne illius auctoritati aliquid detraheretur: adeoque in aliqno facto dogmatico iudicando Vigilium errasse, dici quidem non potest. Quod si nos asseruimus Chalcedonenses Patres de Ibae persona tantum protulisse iudicium, non autem de eius epistola, eumque post professam ab ipso veram fidem, ac anathemate in Nestorium ac in eius errores dicto et retractatis in Cyrillum anathematismis, innoxium declaraverit, quin de eius epistola ad Marium sententiam depromere voluerint; et e contra ex allatis Iudicati verbis colligi aliquis possit, Vigilium existimasse, Chalcedonenses in pristinam sui Episcopatus sedem ex eo Ibam restituisse, quia ad examen eius epistola revocatam, innocuam invenissent, non in facto dogmatico sed in facto historico ipsum errasse dicendum est. In hunc autem historici facti errorem facile incidere aliquis potuisset; etenim cum aliqui Patres in proferenda sententia clausulam praemiserint: « *relecta Ibae epistola, vel relecto scripto epistolae catholica est eius declarata dictatio* », et immediate eum innocentem et catholicum nemine contradicente agnovisse subiunxerint, facile aliquis colligere potuisset ideo in eum absolutionis sententiam Patres protulisse, quia nihil contra fidem in ea epistola ad examen revocata invenerant.

Attamen neque in facto historiae Vigilium errasse dicimus: verba enim Vigilii superius allata, ubi dicit « orthodoxa est Ibae Episcopi a Patribus pronuntiata dictatio », quae indicare possunt, eum existimasse a Concilii Patribus epistolam Ibae ab erroribus immunem iudicatam fuisse, sunt ea quae a Ioanne Antiocheno uno ex Chalcedonensibus Patribus prolata fuerunt, quae Vigilius refert, quin declaret se reputare, epistolam in omnibus partibus catholicam a Patribus Chalcedonensibus iudicatam fuisse; non itaque in sua, sed in aliena sententia Vigilium locutum esse optime dici potest. Voluit ipse quidquid de ea epistola sentiendum esset, intemerata ea manere debere, ac omnia retinenda esse quae a Sancta Synodo constituta fuerant: neque igitur in aliquo facto historico erravit. Id etiam

eruitur ex verbis superius relatis, quibus in conclusione Constituti Imperatorem alloquitur; ibi enim fatetur, unam in hac causa voluntatem habuisse, erga quatuor sanctas Synodos manifestum suae reverentiae signum praebere, quando ipse voluit, ut ea quae a SS. Patribus in eisdem considentibus definita, vel statuta, sive iudicata sunt, intemerata permanerent. Quod vero spectat ad scripta, et personam Ibae nil ex sua sententia proferens, vult ut ea permaneant, *quae in sanctorum Patrum, et Sedis apostolicae vicariorum interlocutionibus continentur:* et sicut Sanctae Synodi satis fuit ad Ibam absolvendum, ut Nestorium eiusque et Eutychetis nefandissimos errores iteratis vicibus anathematizaret, declarat, ut « *illud nobis omnibusque catholicis aequali voluntate sufficiat* ». Non itaque a condemmnatione Ibae abstinendum esse concludit, quia in Chalcedonensi Concilio in omnibus eius partibus epistola catholica sit inventa; sed quia relictis in eodem statu iis, quae de eius epistola in Synodo a Patribus, ac ab Apostolicae Sedis Legatis dicta fuerant, Patres de illius verae fidei professione satisfacti non solum ab eius damnatione se abstinuerunt, sed in pristinum locum Ibam restituerunt. Ex his quae huc-usque diximus, satis demonstravimus, nullimode in aliquo facto dogmatico definiendo aut in facto historico Vigilium errasse.

Videamus modo, utrum in hac trium Capitulorum causa animi inconstantiam Vigilius demonstraverit, de quo tertio loco est nobis disserendum. Quod prudenti oeconomiae ac maturo concilio tribuendum est, animi inconstantiae, ac mutandae sententiae facilitatis vitium in Vigilio aliqui agnoscunt. At quantum hi a vero aberrent, facile est ostendere si ad ea quae in tota huius controversiae serie a Vigilio gesta sunt, attendatur. Statim ac Imperator condemnationem Capitulorum ab eo postulaverat, veritus Virgilius ne id poscentes Concilii Chalcedonensis auctoritatem infringere praesumerent, ad eam tuendam, Imperatoris voluntati firmiter restitit, eosque, qui illi acquiescentes damnationi subscripserant, nedum increpavit, sed a sua communione abscidit. Hoc primum totius seriei factum prudentiae notam meretur; occidentales enim, et non pauci orientales ab hac damnatione, ne Concilii Chalcedonensis auctoritati aliquid detrahe-

retur quam maxime abhorrebant; hinc ob hanc suam animi fortitudinem in damnatione trium Capitulorum respuenda a Clericis Italiae laudatur Vigilius, in Epistola quam ipsi ad Francorum Legatos dederunt.

Secundum factum est Iudicatum Patriarchae Mennae traditum. In hoc quoque Vigilii prudentia elucet: viderunt enim Orientales tribus Capitulis infensissimos ab illorum condemnatione non desistere, hinc eorum indolem probe noscens, ne schismati daretur locus, et ad pacem inter Orientales, et Occidentales componendam, tria Capitula posse damnari existimavit, hac conditione, ut Concilii Chalcedonensis reverentia salva fieret; atque ita orientales et occidentales inter se dissidentes conciliari posse putavit. In Iudicato itaque tria damnavit Capitula, quin aliquid illius Synodi auctoritati derogaretur. Hanc voluntatem unitatem tuendi habuisse in Iudicato condendo ipse Vigilius declaravit in Encyclica qua Theodorum damnavit: « Nos, inquit, longanimitatem nostram divina largitate concessam, tam circa te, quam circa ceteros seductos a te pene hoc quinquennio elapso ostendimus. Primum quidem in eo quod pro scandalo refraenando condescendentes quorundam animis, quos aliqua dispensatione credidimus temperandos; quia tum iam eos pluribus annis inquietissimus stimulator accenderas, quaedam pro tempore medicinaliter existimavimus ordinanda: tali scilicet conditione, ut omni in posterum perturbatione sopita, nihil ultra nec verbo, nec litteris quispiam facere ex eadem causa praesumeret ». Haec confirmantur ex Italiae Clericorum testimonio, ex quo eruitur hanc iis temporibus communem in Italia fuisse opinionem, ob prudentem oeconomiam Vigilium Iudicatum edidisse; etenim Italiae Clerici in dicta Epistola ad Legatos Francorum, postquam Vigilium laudibus exornarunt, quia Capitulorum condemnationi non acquieverat, haec dicunt: « Postea autem tractatu habito, praedictus Papa Vigilius sub aliqua dispensatione ipsam causam ordinavit; sollicite monendo ne per occasionem aliquam supradicta Synodus pateretur Iniuriam ». In Iudicato itaque condendo inconstantiae Vigilius argui non potest, cum et ipsi occidentales Italiae Clerici trium Capitulorum condemnationi valde adversi, in hac Pontificis agendi ratione aliquam dispensationem agnoverint.

At excitatae ob hanc controversiam in Ecclesia gravissimae turbae, edito Iudicato, extinctae non fuerunt. Plures ex Occidentalibus, Afri praesertim, et Illiriciani, ac Dalmatae a tribus Capitulis tuendis non destiterunt; et Romanae Ecclesiae Diaconi Rusticus, et Sebastianus apud Occidentales Vigilium uti Chalcedonensis Concilii desertorem accusabant: e contra Iustinianus ipse Imperator Iudicato non acquievit, et omnibus viribus instabat ut Vigilius absolute, et absque ulla clausula, qua Concilii Chalcedonensis auctoritas sarcta tecta servaretur, tria Capitula damnaret. In hisce angustiis Vigilius ut facilius pacem componeret, nedum Iustiniano acquievit, sed Mennae iussit, ut Iudicatum sibi restitueret, ac illo veluti suppresso, voluit, ut interdicta interim de tribus Capitulis omni controversia, de ea in generali Concilio ageretur. Ita in citata Epistola Italiae Clerici referunt hisce verbis: « Quamvis nec hoc, quod Papa fecerat, acquieverunt, Afri et Hillyriciani, atque Dalmatae Sacerdotes recipere, tamen coepit iterum B. Papa Vigilius ad hoc compelli, ut absoluto ipsa Capitula sine Synodi Chalcedonensis mentione damnaret. Sed Papa non acquiescens hoc facere, et discens se nimium ingravari, dixit Serenissimo Principi: Veniant hinc fratres nostri ex omnibus provinciis quini aut seni Episcopi, et quidquid sub tranquillitate tractatu habito omnibus visum fuerit, cum pace disponemus: quia sine consensu omnium ista, quae et Synodum Calcedonensem in dubium venire faciunt, et scandalum fratribus meis generant, solus facere nullatenus acquiescam ». Ex his apparet, Pontificem, ex ipsis iteratis Imperatoris postulatis, ut ex Iudicato clausulam qua Concilii Chalcedonensis auctoritas tuta, ac servata erat, adimeretur, in hac sententia fuisse confirmatum, Capitulorum damnationem postulantes, illius oecumenici Synodi auctoritatem hoc modo infringere, vel saltem labefactare voluisse; quapropter hanc quaestionem non sola sua auctoritate, sed adhibita Synodo, in qua pari numero Orientales et Occidentales sederent, dirimendam proposuit; ac magnanimi fortitudine Imperatoris edicto, tria Capitula damnanti restitit. Cum autem videret coactum a Iustiniano fuisse Concilium, quin imposita a se conditio de pari Orientalium et Occidentalium Episcoporum numero servando es-

set impleta, et cum etiam animadverteret iudicandi libertate Concilii Patres minime gaudere, ac tandem veritus, ne in eo Episcoporum consessu, instante Imperatore, tria condemnarentur Capitula cum Synodi Chalcedonensis auctoritatis praeiudicio, *Constitutum* Imperatori destinavit. Quod autem in eo Concilio Patribus in suffragiis edendis adempta fuerit libertas, ex testimonio Liberati in Pianciani Cap. 24 deducitur, en eius verba: « Cetera quae subsequenter in Episcopis, et Catholica Ecclesia ab eodem Principe facta sunt, quomodo consentientes Episcopi in trium damnationem Capitulorum muneribus ditabantur, vel non consentientes depositi in exilium missi sunt: vel aliqui fuga latitantes in angustiis felicem exilium susceperunt, quoniam nota sunt omnibus, puto nunc a me silenda ». In hisce itaque omnibus, et in ipso Constituto condendo, Vigilii prudentia ac constantia in tuenda Concilii Chalcedonensis auctoritate elucet; etenim cum perspiceret occultum finem ab huiusce controversiae promotoribus sibi praestitutum fuisse, debitam illi oecumenicae Synodo reverentiam imminuere, quem tandem in convocato illo Constantinopoli Concilio essent consecuturi, *Constitutum* edidit, in quo summae reverentiae, ac obsequii testimonium erga Chalcedonenses Patres exhibens, omnia quae in eo gesta sunt hac super re, confirmat.

Tandem cum probe novisset trium Capitulorum damnationem in eo Concilio Constantinopolitano latam ita fuisse, ut nullum auctoritati Chalcedonensis Synodi praeiudicium sequeretur, atque etiam animadvertisset ex ea damnatione novas in Ecclesia turbas excitaturos non esse, *revelante Domino, et veritate investigata*, ut ipse dicit in Epistola ad Eutychium, tria Capitula expresse damnavit, et auctoritate sua Concilium ipsum confirmavit. Ex his itaque omnibus apparet, nedum aliquam inconstantiae notam Vigilium in hac tota controversia meritum fuisse, sed potius magnae animi fortitudinis, ac summae prudentiae exemplum nobis reliquisse. De disciplinari enim quaestione agebatur, in qua duobus modis, vel summo, vel remisso iure, prout circumstantias suadebant, agendum erat, et haec quidem Romanorum Pontificum in his controversiis semper fuit prudentissima agendi ratio; quod si Vigilii co-

natus ad perfectam Ecclesiae pacem obtinendam non omnino pervenerunt, non eius culpae, sed illorum temporum circumstantiis, animorum scilicet aestui, malitiae nonnullorum ex Orientalibus Episcopis, et pertinaci Imperatoris voluntati tribuendum est. Ceterum Vigilius omnes optimi Pontificis partes explevit, ac in tuenda Ecclesiae libertate, et in negotiis pertractandis tantam animi fortitudinem ostendit, ut omnibus laudibus sit cumulandus.

Ad diluendam accedimus ultimam difficultatis partem, ac ostendimus, ex iis quae in Concilio V acta fuerunt, nullum auctoritati Romanorum Pontificum in oecumenica Concilia praeiudicium inferri. Scriptores Pontificiae auctoritati adversi non desuut, qui tradunt, quemadmodum in Chalcedonensi Concilio Romanorum Pontificum auctoritas in Generalia Concilia refulsit, ita o contra Conciliorum oecumenicorum auctoritatem in Romanos Pontifices ex iis quae in Concilio V gesta fuerunt, manifestissime apparere. Dicunt: Vigilius in suo Constituto tribus Capitulis parcendum esse statuit, ac nullum in posterum post hanc suam definitionem hac de re quaestionem esse movendam indixit: at contra Pontificis iudicium, Synodus V suam supra Pontificem auctoritatem sentiens, ea Capitula damnavit: atque ita in Pontificem auctoritatem ostendit, cum superioris sit inferioris acta infringere. Ceterum Vigilius teste Anastasio in exilium pulsus, nonnisi post elapsum quinquennium, rogante duce Narsete, post liberatam a Gothis Italiam, ab exilio solutus Concilii sententiam ipsumque Concilium licet invitus, confirmavit. At quantum a vero hi abberrent, facile nobis est demonstrare.

Dicimus itaque, in Concilii V historia RR. Pontificum in Concilia generalia auctoritatem confirmari. Primo ut Concilii Patres ad tria Capitula condemnanda induceret, et ut eorum animos facilius flecteret Iustinianus, exemplum Vigilii in antecessum proponit, qui ea capitula damnavit. In Epistola quam ad Synodum dedit, haec dicit: « Vigilio religiosissimo Papae antiquioris Romae cum pervenisset ad hanc regiam civitatem, de tribus capitulis subtiliter omnia manifestavimus, et interrogavimus eum, quid sapit de hoc, et ipse non semel, nec bis, sed saepius in scriptis anathematizavit impia tria capitula ». In eadem autem Epistola tradit Rusticum, et Sebastia-

num ob susceptam trium capitulorum defensionem fuisse a Pontifice damnatos. Profecto si Imperator persensisset Concilii auctoritatem supra Pontificem esse, ad Episcoporum animos flectendos, ob oculos Pontificis exemplum ponere necessarium non existimasset: at Iustinianus iam firmiter hanc habuisse persuasionem, nulla generalia concilia auctoritate potiri, nisi et a Summo Pontifice convocata, et approbata fuerint, satis demonstravit; etenim Vigilium instanter Constantinopolim evocavit, ac tum precibus, tum molestiis et vexationibus gravissimis eum ad capitula condemnanda adducere conatus est.

Ipsa vero Synodus, auctoritate Imperatoris congregata, supremam Sanctae Sedis auctoritatem reverita est; etenim antequam quidquam in trium Capitulorum causa decernere auderet, illustri legatione Eutychii Constantinopolitani, et aliorum Patriarcharum, ac plurium Metropolitanorum Pontificem convenit, ab eo postulans, ut Concilio interesse et Capitulorum causam cum ceteris Episcopis disceptare vellet. Synodi ad eum iterata legatione, constanter illi interesse Vigilius recusavit, prout Legati Patribus retulerunt, hisce verbis: « Ille respondit, non posse una nobiscum convenire, eo quod plurimi hic quidem sunt Orientales Episcopi, pauci vero cum eo, facere autem per semetipsum in scriptis sententiam suam, et offerre piissimo Domino ». Ne Episcoporum conventum, qui Synodi nomen non merebatur, sua praesentia cohonestaret, ac sua auctoritate ipsum, uti oecumemenicam Synodum comprobaret, ad illum accedere noluit Vigilius. Profecto manifeste iudicavit se in illo conventu oecumenici Concilii auctoritatem non agnovisse, quando legatis in posterum diem respondere distulit, ac pollicitus est manifestare, quod ei de tali *conventu* placuerit. Cum itaque Patres in eo conventu convocati optime sibi persuasum haberent Concilii oecumenici auctoritatem nancisci Synodum non posse, nisi Romani Pontificis approbationem illa assequeretur, totis curis, ac precibus Vigilium, ut secum conveniret, rogabant; o contra, ne id pro eorum votis cederet, Vigilius accedere firmiter recusabat. At Pontifex ut suam in Synodum auctoritatem ostenderet, illius gesta nullius roboris esse in Constituto declaravit, his verbis: « Statuimus, et decernimus, nulli ad ordinem, et dignitates ecclesiasticas pertinenti licere quidquam contrarium his, quae

praesenti asseruimus, vel statuimus Constituto de saepe dictis tribus capitulis, aut conscribero, aut proferre, componere, vel docere, aut aliquam post presentem definitionem movere ulterius quaestionem ».

At quod omnem propositae difficultatis vim removet, est ipsa Vigilii Concilii V. approbatio, qua et tria capitula damnat, et eius gesta confirmat. De hac Synodi confirmatione a Vigilio facta ita Evagrius illius saeculi Scriptor, qui Synodi Acta legit, scripserat Lib. 44, cap. 37: « *Vigilius per literas consensit Concilio, non tamen interesse voluit* ». Hae Litterae ignotae per tot saecula remanserunt, donec ab eruditissimo Petro de Marca Archiepiscopo Parisiensi in Biblioth. Regia inventae, et publicatae fuerunt: extant apud Labbe Tom. V Concil. Col. 239 ubi quoque laudati de Marca de Synodo V dissertatio refertur. Vigilii Literae ita inscribuntur: « *Dilecto fratri Eutychio Vigilius* ». In hac epistola suam sententiam retractat, tria damnat Capitula, atque ut ostendat hanc condemnationem Chalcedonensis Concilii auctoritati nil preiudicii inforre, his verbis epistolam concludit: « Absit enim ab ecclesia catholica, ut aliquis dicat omnes superius comprehensas blasphemias, a praedictis quatuor Synodis, aut ab una ipsarum susceptas fuisse, vel ea qui similia sentiunt, et sequuntur. Apertissimum autem est, quod a memoratis sanctis Patribus, et maxime a sancta synodo Chalcedonensi, nullus de quo aliqua esset suspicio admissus est, nisi qui reiecisset superius comprehensas blasphemias, aut illis similia, vel haeresim, de qua fuit suspectus vel blaspemias denegavisset, et condemnasset, in quarum suspicionem venit. » Haec autem epistola data est « *ante sex. Idus Decembres, imperii Domini nostri Iustiniani aeterni Augusti anno vigesimo sexto, post Consulatum Basilii viri clarissimi, anno duodecimo* ». Haec approbationis Epistola data est sex circiter menses post absolutum Concilium.

Plures Scriptores antiquiores Latini Anastasium in Vita Vigilii secuti, Vigilium in exilium ob denegatam Synodi approbationem pulsum fuisse asseruerunt, quod ad plenum quinquennium perdurasse contendunt; alii vero ad sex menses tantum; addunt autem Pontificem Romanae Sedis repetendae desiderio ad subscriptionem tandem inflexum fuisse. At quam falsa horum omnium Anastasii

auctoritate deceptorum opinio fuerit, breviter demonstrare aggredimur, ostendentes neque ad quinquennium, neque ad sex menses, sed nullimode ad exilium Vigilium damnatum fuisse. Et quoad primum: in medium adducimus sanctionem Iustiniani Imperatoris post eiusdem Novellas recitatam, quae incipit: « Pro petitione Vigilii venerabilis antiquioris Romae Episcopi, quaedam disponenda censuimus, ad utilitatem omnium pertinentia, qui per Occidentales partes habitare noscuntur..... » et cap. 19 ait: « Iubemus in illis mensuris, vel ponderibus, species vel pecunias dari vel suscipi, quae Beatissimo Papae, vel amplissimo Senatui nostra pietas in praesenti tradidit ». Haec manifeste probant, Vigilium eo tempore, quo haec Imperator edidit, in Regia Urbe adesse, propediem in Italiam adventurum, qui secum pondera, ac mensuras ferebat, quibus in posterum Itali usuri essent; neque dici potest, eas ad Vigilium in Proconneso longo exulantem ab Imperatore missa fuisse; praeterea eo tempore libenti et amico animo plura in gratiam Vigilii Romanis a Gothis liberatis concessit Imperator, eumque beatissimum nuncupavit. Atqui haec data sunt mense Augusti anno 554, quia dicta sanctio subscripta est Idibus Augusti anno Iustiniani XXVIII. post Consul. Basilii V. C. anno XIII. Haec certe cum exilio ad quinquennium protracto conciliari non possunt. His accedit, quod plures datae sunt post Consulatum Basilii anno XV, seu anno 555 epistolae a Pelagii Vigilii successore ad Childebertum Regem Francorum, ad Sapaudum Arelatensem, et ad Episcopos Tusciae. Ergo eo anno quo iam e vivis excesserat Vigilius, in exilio esse non poterat. Fictum igitur est Vigilii ad quinquennium exilium.

At neque sex illis mensibus, quantum intercessit temporis ab absoluta Synodo V ad illius per Vigilium approbationem, cum exulasse dici potest; omnes enim illorum temporum scriptores tum Graeci, tum Latini contrarium docent. Eustathius Constantinopolitanus Praesbyter, qui maxima Eutychii familiaritate utebatur, in *Vita Eutychii*, postquam retulerat, quatuor Patriarchas tempore illius Synodi in Regia Urbe extitisse, nimirum Vigilium Romanum, Eutychium Constantinopolitanum, Domninum Antiochenum, et Apollinarem Alexandrinum, ita prosequitur: « Cum igitur ex qua-

tuor Pastorum concordia rectoque sensu factum esset veluti unum ovile, atque unus Pastor, et omnis disciplinae moderatio per Sacerdotes, et Sacerdotum Praesules conquievisset, discesserunt ad suas singuli civitates, et populos magno cum gaudio ». In re omnibus nota haec scribere non potuisset Eustathius, nisi vera fuissent; facile enim de Vigilio mendacii reprehensus fuisset. Cyrillus Scythopolitanus in Lib. de Vita S. Sabae apud septimam Synodum Act. I scribit: « Itaque cum sancta universalis quinta Synodus Constantinopoli esset congregata, communi ac generali anathemate reiecti sunt Origenes, Theodorus Episcopus Mopsuestias...... Probarunt autem id quatuor Patriarchae praesentes ».

Commentitium Vigilii exilium esse ex Scriptoribus latinis quoque eruitur, qui de hoc exilio silentium servant, quod certe si verum fuisset, commemorassent. Victor Tunonensis acerrimus, ac obstinatus Capitulorum defensor, narrat in Chronico, Rusticum Romanae Ecclesiae Diaconum, et Felicem Guillensem, monasterii Africanae Provinciae Egumenum, damnationi Capitulorum contradicentes in exilium pulsos fuisse; certe si de Vigilii exilio vera essent quae feruntur, huius gravissimi Iustiniani sceleris narrationem non omisisset, eo magis quod ita illius crudelitas revelabatur; attamen nil de Vigilii exilio dicit. Haec sunt Tunonensis verba: « Ibi tria saepe facta capitula, cum defendentibus ea, damnationi subiiciunt, sibique ipsis poenitentiae regressum poenaliter intercludunt, fati se perpetuo anathemate obstringentes... Quorum decretis Rusticus Romanae Ecclesiae Diaconus, et Felix Guillensis monasterii Provinciae Africanae Egumenus, contradicentes scripto Thebaida in exilium cum sociis transmittuntur ». Liberatus Diaconus Carthaginensis Cap. 22 in fine haec scribit: « Ab ipsa haeresi afflictus Vigilius nec coronatus, qualem vitae terminum habuerit, notum est omnibus ». Quam Capitulorum damnationi adversus fuerit Liberatus, ex eo eruitur, quod illam damnationem ab Imperatore latam, haeresim appellat; quapropter si exilii aerumnas passus fuisset Vigilius, hanc quidem circumstantiam non reticuisset, cum haec in maius Iustiniani dedecus vergeret. Ipse Liberatus in fine sui Breviarii commemorat eos qui damnationi consentiebant,

in exilium deportatos fuisse: « Consentientes Episcopi in trium damnationem Capitulorum muneribus ditabantur, vel non consentientes depositi in exilium missi sunt: » at neque de attentata Vigilii depositione, neque de eius exilio aliquid dicit. Id quoque probatur ex Codice manuscripto Arabico historiae Ecclesiasticae Iba Patrio, qui saepius a Georgio Elmacin in Historia Saracenica laudatur, in quo de Synodo V haec leguntur: « Romanus Patriarcha praesens Synodo nec adivit, nec legatum misit, sed consensum praebuit, dictaque Patrum suscepit ». Videatur Petrus de Marca Dissert. de Decreto Confirmationis Synodi V, num. XV in fine. Ex his itaque testimoniis illorum temporum Scriptorum ostenditur, Vigilium libenter Synodum, eiusque acta in controversia trium capitulorum confirmasse.

Verba quoque, quibus in confirmando Concilio usus est Vigilius, suam in illud auctoritatem ostendunt, quemadmodum in Epistolae initio insinuaverat, dicens: « quae nobis definiri debent, revelante Domino, et investigata veritate salubriter impleta sunt »; quibus innuerat, quaestionem a Patribus in Synodo discussam, ac decisam, Sedis Apostolicae supremo iudicio esse tandem definiendam. Etenim sua auctoritate, suoque decreto Capitula damnat; postea vero addit in eadem Epistola ad Eutychium: « Quoscumque vero, qui rectam fidem servantes a dictis Synodis praedicatam, memorata tria Capitula condemnaverunt, vel etiam condemnant, fratres et consacerdotes esse definimus »: verbis *memorata tria capitula condemnaverunt* illius Concilii Patres indicat; et aliis *fratres et consacerdotes esse definimus,* eos in sua communione esse declarat, et eorum decreto, ex suo in illud consensu firmitatem concedit.

Ipsi autem Graeci agnoscentes Synodum V totum suum generalis Concilii robur ex Vigilii consensu, et approbatione sumpsisse, solliciti fuerunt in hac epistola actis Synodi finem imponere, uti probat Petrus de Marca in citata Dissert. num. XV, qui haec addit: « Quare Photinus Patriarcha Constantinopolitanus, licet infensissimus Ecclesiae Romanae hostis, ab his verbis temperare non potuit, quae Vigilii auctoritatem in confirmanda hac Synodo significant, satisque docent post habitam Synodum Pontificis decretum

accessisse. Haec sunt eius verba: « aderat praesens in urbe, sed non intererat Synodo: etsi vero non adeo prono animo esset erga sacri concilii coetum, nihilominus tamen communem Patrum fidem libello confirmavit. » Ex his adductis testimoniis ac monumentis apertissime dignoscitur, Vigilii exilium inter fabulosas narrationes esse recensendum, cumque sua libertate utentem Synodum confirmasse.

In hoc autem Vigilii facto, Romani Pontificis supra oecumenicum Concilium auctoritas quam maxime resplendet; cur enim quinta Synodus vi et auctoritate oecumenici Concilii guadet, et inter generalia Concilia adnumeratur? 1.° Non ex auctoritate illud convocantis, etenim sua auctoritate Imperator coegit. Consenserat utique Vigilius ut ad controversiam trium capitulorum dirimendam Concilium convocaretur, at ea conditione adiecta, ut Occidentales cum Orientalibus aequali numero in eo sederent. Imperator vero mora pertaesus et hac conditione non servata sua auctoritate Synodum convocavit. 2.° Non illi Pontifex sed Eutychius Constantinopolitanus Patriarcha praefuit. 3.° Neque in ea Synodo, in trium Capitulorum causa, quae praecipuum Synodum convocandi obiectum fuit, suffragiorum libertas aderat: audivimus enim Liberatum in Breviario, uti de re omnibus nota, narrantem, Episcopos in damnationem consentientes muneribus ab Imperatore fuisse ditatos, non consentientes vero depositos, ac in exilium missos fuisse. Ergo V Synodus non oecumenicae sed conciliabuli nomen merebatur, et vidimus Vigilium, illi interesse recusantem, eam simplicem *conventum* appellasse. Tota igitur ratio, cur inter oecumenica Concilia illud adnumeratur, est Vigilii Summi Pontificis auctoritas, qui illud confirmavit. Sola itaque summi Pontificis auctoritas satis est, ut illud quod de se conciliabulum esset, generalis Concilii vi, et auctoritate polleat.

Videant, quaeso quam a vero aberrent, qui existimant, ex gestis in Concilio V argumentum deduci posse ad infirmandam Romanorum Pontificum supra Concilium auctoritatem; cum ex iis suprema eorum supra oecumenica Concilia auctoritas magis, magisque elucescat.

Ea quae de Vigilio disserentes in medium attulimus, facile demonstrant, eum neque in fidei definitione, neque in facto dogmatico errasse, in tota trium Capitulorum controversia summae prudentiae, ac animi fortitudinis exempla imitanda praebuisse; ac tandem suam supra oecumenicam Synodum V supremam auctoritatem exercuisse.

ARTICULUS IV.

De Honorii I lapsu.

Gravissimae inter Orientales excitatae sunt turbae, statim ac ex inferni faucibus Monothelitarum haeresis erupit, quae ex Eutichianismo orta, primores duces duos Patriarchas Cyrum Episcopum Alexandrinum, et Sergium Episcopum Constantinopolitanum habuit. Haereticalis error in hisce Cyri Episcopi Alexandrini verbis in septimo anathematismo, ex novem ab eo ad conciliandam cum haereticis pacem propositis, continetur: « Hunc ipsum Christum, unum, et filium, tam illa, quae Deo conveniunt, quam humana operari una operatione theandrica »; quae verba cum iis concinunt quae postea in fidei professione a monothelita Macario Episcopo Antiocheno Act. 8 sextae Synodi exhibita leguntur. « Non illum (Christum) inquit Macarius, divina secundum Deum, nec humana secundum hominem egisse, verum, Deum hominem factum, novam quamdam Dei virilem operationem, eamque totam vivificam ostendere ». Cum autem catholica Ecclesia huic errori oppositam doctrinam semper docuerit, quam in Actione 18 oecumenicum Concilium sextum ita definivit: « Unum eumdemque Christum filium Dei unigenitum, in duabus naturis inconfuso, inconvertibiliter, inseparabiliter, indivise cognoscendum;... et duas naturales voluntates in eo duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse secundum sanctorum Patrum doctrinam praedicandas »; hinc docti ac pii viri adversus hanc novam haeresim strenue insurrexerunt. Praecipuus inter hos fuit Sophronius Monachus sanctitate ac doctrina praestans, qui postquam ad Hierosolymitanum Episcopatum evectus fuit;

statim Palestinae Episcopis in Concilio coactis, synodicam scripsit Epistolam, in qua duas in Christo naturales operationes demonstrat, quam ad alios Patriarchas misit; neque his contentus Stephanum Dorensem Episcopum Romam destinavit, ut Honorium Romanum Pontificem certiorem faceret, de his omnibus quae ad errorem disseminandum, et ad favorem illi conciliandum ab eius ducibus agebantur, qui Imperatoris favore abutentes maximo furore, et audacia catholicos divexabant. Quanta erga Apostolicam Sedem Sophronii observantia fuerit ostendunt verba ipsius Episcopi Dorensis, qui in actione prima Concilii Lateranensis quomodo legationem tunc susceperit narrans dicit. « Quantocius, aiebat Sophronius, de finibus terrae ad terminos eius (Romani Pontificis) ambula, donec ad Apostolicam Sedem, ubi *Horthodoxorum dogmatum fundamenta existunt*, pervenias, non semel, non bis sed multo saepius aperiens sacris viris ibidem consistentibus omnia secundum veritatem, quae in istis partibus mota sunt.... Quod addiscentes contrarii, non levibus me implicuerunt afflictionibus, praeceptiones propter me per loca, et Provincias dirigentes, quatenus comprehendi, et ferris constrictus ad eos deberem destinari, sicut omnes cognoscunt » (*Tom.* 6 *Concil. pag.* 105 B).

Sergius quoque Patriarcha Constantinopolitanus per Epistolam Honorium adiit, in qua inter Cyrum Alexandrinum, et Sophronium controversiam ortam, ita exponit, ut potius de vocibus, quam de re in ea ageretur; narrat, Cyrum ad haereticos unitati conciliandos novem doctrinae capita proposuisse, quorum septimum unam operationem tantum in Christo esse asserebat, Sophronium autem duas voluntates, ac operationes in Christo esse acerrime contendisse; huius novae controversiae occasione Ecclesiae pacem facillime turbari, ac difficilius ad unitatem haereticos reduci posse aiebat; hinc Pontificem rogavit ut auctoritate sua ad tot praecavenda mala in hac quaestione silentium indiceret. Spe componendae pacis deceptus Pontifex, oeconomia quadam utendum esse existimavit, atque ad compescendas turbas de una, et gemina operatione in suis ad Sergium litteris silendum esse scripsit: hoc autem silentio a Pontifice indicto ad errorem facilius, et tutius disseminandum Monothelithae usi

sunt, ac de die in diem haeresis incrementa sumsit, ac profundiores radices egit.

Hac quidem agendi ratione Honorius tuendae fidei munus suum non adimplevit, et si tacendo, et non definiendo quod erat praedicandum omissionem forsitan materialem non formalem admiserit, nunquam tamen errorem definivisse ostendemus.

Adversarii Pontificiae infallibilitatis contendunt, Honorium in suis ad Sergium litteris, quas dogmaticas esse dicunt, in errorem Monothelithicum incidisse, ac Ecclesiae illum credendum proposuisse; proinde merito a Sexta Synodo una cum Sergio, Pyrrho, aliisque Monothelithis anathemate perculsum fuisse. Quam falsa haec sint, duo ostendent, quae demonstranda assupmsimus. Primo nullum adversus fidem in dictis Epistolis Honorii errorem contineri; secundo nullam ipse dogmaticam definitionem fidei edidisse.

Quoad primum satis est in medium proferre Epistolam 2 Honorii ad Sergium, cuius initium est: « Scripta dilectissimi filii nostri Syriaci Diaconi », quae lecta est in Actione XIII Sextae Synodi (Labbei Concil. edit. 1729, Col. 1003). In hac Epistola dum Pontifex catholicum dogma de duabus in Christo voluntatibus, et operationibus asserit, solum ad conciliandam pacem inter disputantes Sergium, et Sophronium, aliosque, retenta catholica doctrina, voces tantum sive unius, sive geminae operationis ut supprimantur edicit iuxta ea quae in 1 Epistola ad ipsum Sergium tradiderat, relinquentes hanc quaestionem *grammaticis, qui solent parvulis exquisita derivando nomina venditare.* Iuvat integram huius 2 Epistolae partem referre: « Et quidem, scribit, quantum ad instruendam notitiam ambigentium, (alia versio ex Graeco textu: *Et haec quidem in sanctissima vestra fraternitate censemus per praesentes litteras esse declaranda* (Harduinus) Sanctissimae fraternitati vestrae per eam insinuandum, praevidimus. Ceterum quantum ad dogma ecclesiasticum pertinet, quae tenere, et praedicare debemus, propter simplicitatem hominum, et amputandas inextricabiles quaestionum ambages, sicut superius diximus, non unam vel duas operationes in mediatore Dei, et hominum definire, sed utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas, cum alterius communione ope-

rantes, atque operatrices confiteri debemus: et divinam quidem, quae Dei sunt operantem; et humanam, quae carnis sunt, exequentem, non divise, neque confuse, aut convertibiliter, Dei naturam in hominem, et humanam in Deum conversam edocentes, sed naturarum differentias integras confitentes: unus enim atque idem est humilis et sublimis, aequalis Patri, et minor Patre, ipso ante tempora, natus in tempore est: per quem facta sunt saecula, factus in saeculo est: et qui legem dedit, factus sub lege est, ut eos qui sub lege erant, redimeret: ipse crucifixus, ipse chirographum, quod erat contra nos, evacuans in cruce de potestatibus et principatibus triumphavit. Auferentes ergo, sicut diximus, scandalum novellae adinventionis, non nos oportet unam vel duas operationes definientes praedicare, sed pro una, quam quidam dicunt operatione, oportet nos unum operatorem Christum Dominum in utrisque naturis veridice confiteri: et pro duabus operationibus, ablato geminae operationis vocabulo, ipsas potius duas naturas, id est, divinitatis et carnis assumptae, in una persona unigeniti Dei Patris, inconfuse, indivise, atque inconvertibiliter nobiscum praedicare propria operantes. Et hoc quidem beatissimae fraternitati vestrae insinuandum praevidimus, quatenus unius confessionis propositum unanimitati vestrae sanctitatis monstremus, ut profecto in uno spiritu anhelantes, pari fidei documento conspiremus. Scribentes etiam communibus fratribus Cyro et Sophronio antistitibus, ne novae vocis, id est, unius vel geminae operationis vocabulo insistere vel immorari videantur: sed abrasa huiusmodi novae vocis appellatione, unum Christum Dominum nobiscum in utrisque naturis divina vel humana praedicent operantem. Quamquam hos, quos ad nos praedictus frater et Coepiscopus noster Sophronius misit, instruximus, ne duarum operationum vocabulum deinceps praedicare innitatur, quod instantissimo promiserunt praedictum virum esse facturum, si etiam Cyrus frater, et coepiscopus noster ab unius operationis vocabulo discesserit ».

Si haec Epistola attente consideretur haec duo apertissime apparent: primo, Honorium optime de catholica doctrina sentire, eamque accurate definire; secundo, Sergii litteris deceptus hanc inter Cy-

rum et Sophronium de vocibus controversiam esse existimasse. Et quoad primum duas in Christo naturas, duasque voluntates et operationes, utriusque naturae proprias distinguit Honorius, quod est catholicum dogma, Monothelitico de una in Christo voluntate, ac operatione theandrica errori oppositum: haec doctrina dogmatica in verbis epistolae continetur: « Quantum ad dogma Ecclesiasticum pertinet, utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus, et divinam quidem quae Dei sunt operantem, et humanam quae carnis sunt exequentem, non divise, nec confuse, aut convertibiliter Dei naturam in hominem, et nec humanam in Deum conversam edocentes ». Clare etiam hoc dogma paulo post hisce verbis confitendum esse dicit: « *Duas naturas id est divinitatis et carnis assumptae in una persona unigeniti Dei Patris inconfuse, indivise, et inconvertibiliter nobiscum praedicare propria operantes* ». Profecto in hisce verbis tota doctrina ab ipso Concilio VI adversus Monothelitas definita continetur. In Actione secunda huius Concilii lectis verbis S. Leonis Magni in dogmatica Epistola ad Flavianum, ea uti fidei veritatis monumentum adversus Monotheliticos errores proclamata sunt: haec in Actis leguntur (Labbei Tom. VII, col. 639): « Et relegente eo (Antiocho) Epistolam, quae in eis continetur, sanctae memoriae papae Leonis magnae civitatis Romae, et veniente ad textum, in quo scriptum est: Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium habuit: Verbo quidem operante quod Verbi est, carne autem exequente quod carnis est, et horum unum coruscat miraculis, aliud vero succumbit iniuriis; exurgentes qui ex parte Apostolicae Sedis erant antiquae Romae, exclamaverunt: Ecce, benignissime domine, manifeste duas naturales operationes inconfuse, et indiviso in Domino nostro Iesu Christo praesens sanctissimus praedicat pater, cuius praesentem sermonem sancta quarta synodus firmamentum orthodoxae fidei inscripsit ». Iam vero si haec S. Leonis verba quae ab ipsa sexta Synodo catholicum dogma adversus Monotheliticam haeresim iudicata sunt contineri, cum relatis Honorii verbis conferantur, facile quisque videt, eamdem veritatem ipsum edocere. Dicit S. Leo: *Agit utraque forma cum al-*

terius communione; idipsum docet Honorius dicens: *Utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes.* Ille operationes distinguens ait: *Verbum quidem operari quod Verbi est, carnem exequi quod carnis est;* eamdem distinctionem Honorius docet dicens: *Et divinam quidem quae Dei sunt operantem, et humanam quae carnis sunt exequentem;* et postea addit: *Duas naturas divinitatis, et carnis assumptae propria operari.* Duas itaque naturas, duasque operationes divinam, et humanam indivise et inconfuse propria operantes, seu divinam et humanam operationem, uti factum est a S. Leone, apertissime profitetur. Manifestum igitur est, Honorium tam diserte catholicum dogma in hac epistola docuisse, ut nullimode de sua orthodoxia dubitari possit.

At difficultatem ingerunt verba quae in Epistola prima ad Sergium leguntur, ubi dicit: « *Unde et unam voluntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi* », quasi unam in Christo voluntatem, ac operationem Honorius docuerit. Profecto si haec verba in Monothelithico sensu accipiantur, ut unam voluntatem divinitatis et humanitatis significarent, apertissime Pontifex sibi contradixisset: at hoc loci de una humanae naturae voluntate loquutus est, ut duas humanas voluntates, quas nos ob originale peccatum unam secundum spiritum, alteram appetitu sensitivo allicientc secundum carnem, et spiritui repugnantem experimur, in Christo reiiciens, unam humanam voluntatem omni naturae lapsae vitio expertem in Christo esse fatetur. Ut id demonstremus, integrum huius Epistolae locum satis est afferre. Primo Christum dicit unum divinae et humanae naturae operatorem, et id catholico sensu, quatenus unica Verbi persona divina, et humana operata sit. « Confitentes, ait, Dominum Iesum Christum mediatorem Dei et hominum, operatum divina, media humanitate verbo Deo naturaliter seu hypostatice unita, eumdemque operatum humana ineffabiliter, atque singulariter assumpta carne discrete, inconfuse, atque inconvertibiliter plena divinitate ». Haec quidem catholica sunt, et iis concinunt, quae in Epistola Sophronii in undecima Sessione Concilii VI lecta, et probata leguntur. Postea quibusdam interiectis ita

prosequitur Honorius: « Unde et unam voluntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi, quia profecto a divinitate assumpta est *nostra natura, non culpa*, illa profecto quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata. Christus enim Dominus, in similitudinem carnis peccati veniens, peccatum mundi abstulit, et de plenitudine eius omnes accepimus, et formam servi accipiens, habitu inventus est ut homo, quia sine peccato conceptus de Spiritu Sancto, etiam absque peccato est partus de sancta et immaculata Virgine Dei genitrice, nullum experiens contagium vitiatae naturae. Carnis enim vocabulum duobus modis sacris eloquiis boni malique cognovimus nominari ». Hic plura SS. Litterarum testimonia affert quibus ob vitiatam ex Adami culpa naturam, voluntatem spiritui repugnantem in homine esse ostendit, atque ita prosequitur: « Non est itaque assumpta, sicuti praefati sumus, a Salvatore vitiata natura, quae repugnaret legi mentis eius, sed *venit quaerere*, et salvare quod perierat, id est vitiatam humani generis naturam. Nam lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori, quia super legem natus est humanae conditionis. Et siquidem scriptum est: *Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me*. Et: *Non quod ego volo sed quod tu vis, Pater;* et alia huiusmodi, non sunt haec diversae voluntatis, sed dispensationis humanitatis assumptae. » Apertissime itaque hic loquitur Honorius de humana tantum voluntate quae cum ex originali culpa vitiata non sit, nullam adversus spiritum repugnantiam experitur, eamque unam appellat, quia nullam aliam sibi adversam habeat, iuxta ea quae dicit Apostolus: Sentio in membris meis legem repugnantem legi mentis meae ».

Hanc autem Honorii mentem fuisse, ex pluribus illius temporis monumentis evidentissime demonstrare possumus. Nemo profecto clarius Honorii sententiam in prima Epistola expositam assequi poterat, quam ille ipse amanuensis Ioannes Abbas, qui Pontificis iussu latinis dictionibus eam dictavit: hic testatus est unam in Christo voluntatem in ea Epistola scripsisse humanae naturae propriam, ut duae in nostro divino Salvatore humanae voluntates inter se oppositae, una secundum spiritum, altera secundum car-

nem spiritui repugnans excluderentur. Ioannis Abbatis testimonium ipsis eius verbis a S. Maximo Martyre *in Dialogo cum Pyrrho* refertur: hanc celeberrimam disputationem in conventu Episcoporum, anno 645, quinque post Honorii mortem elapsis annis, sanctus Maximus cum Pyrrho habuit, in eadem dixerat Pyrrhus: «Quid habes de Honorio dicere, qui ad praedecessorem meum scribens: unam Domini nostri Iesu Christi voluntatem aperte dogmatizavit? *S. Maximus respondet:* Quis Epistolae illius fide dignus erit interpres? Qui eam ex persona Honorii composuit, et vivit adhuc, inter alia sua bona, hoc etiam conspicuus, quod pietatis dogmatibus universum illustravit occidentem? An Constantinopolitani de corde suo loquentes? *Pyrrus:* qui eam composuit: *Maximus.* Ille idem igitur ad divum Constantinum quondam Imperatorem scribens, rursum ex persona S. Papae Ioannis de ipsa: Unam, inquit, voluntatem Domini diximus, non divinitatis eius et humanitatis, sed solius humanitatis. Cum enim Sergius scripsisset, esse qui dicerent in Christo duas contrarias voluntates, rescripsimus Christum non habuisse duas contrarias voluntates, carnis, inquam, et spiritus, sed unam tantum, quae naturaliter humanitatis eius nota essentialis est. Id ita esse evidenter ex eo demonstratur, quod membrorum et carnis facta est mentio, quae divinitati eius non possunt attribui. »

Idem S. Maximus in *Epistola ad Marinum* in isto sensu Honorii verba intelligenda esse ostendit, dicens: « Honorium etiam Romanum Papam non diffiteri réor naturaliter in Christo voluntatum dualitatem, sed potius confiteri, et hanc fortassis etiam constabilire. Nam hoc non in reprobationem dixit humanae Salvatoris et naturalis voluntatis, sed quod nullatenus conceptionem eius, quae fuit sine semine, vel incorruptam nativitatem praecesserit voluntas carnis, vel cogitatio vitiosa. Sola namque voluntas divina atque paterna, per Filium unigenitum per semet operantem propriam Incarnationem, Sanctique Spiritus conventionem, hanc operata est. Et quod hunc sensum sectetur, hinc est manifestum. Cum enim dixisset, quia propter ineffabilem unitatem, humanae ac Divinae naturae, Deus dicitur pati, et humanitas de coelo cum divinitate descendisse: et hoc modo ostendisset eorum quae naturaliter

insunt utrique naturae unius Christi et Dei Filii per commutationem, summam redditionem, subinfert: *Unde et unam voluntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi:* quomodo ait: *quia profecto a divinitate assumpta est natura nostra non culpa.* Propemodum cum magno effatus Athanasio, qui haec contra Apollinarium impium scribit; Natus est de muliere, de prima plasmatione hominis formam sibi erigens in ostentione carnis absque carnalibus voluntatibus, et humanis cogitationibus in imagine novitatis: voluntas enim sola divinitatis est, quoniam natura tota divinitatis est ». Infra vero recensitis Honorii verbis: *Nam Lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori:* ita prosequitur: « Hinc ostendit, non quod non habuerit humanam voluntatem, et naturalem (non enim hoc dixisse videtur) sed quod sicut homo, neque secundum corpus per membra quamlibet habeat praeter naturae leges operationem: neque rursus secundum animam, voluntatis contrarium, vel sine ratione motum, veluti nos. Quia et supra leges natus est humanae naturae..... Unde cum nostram quidem naturam de divinitatis voluntate dicit assumptam unius mentionem facit. Illud autem quod introducit: *Non veni facere voluntatem meam,* in medio verbum proponit omisso numero. Non sunt, inquit, haec diversae voluntatis, id est contrariae atque adversatricis: ex quo duas secundum naturam existere in Salvatore voluntates, manifeste colligitur. Si enim contrariam non habuit, naturalem habuit tamquam homo. Quod enim non est contrarium naturale profecto est ». Haec tam aperta sunt, ut nulla commentatione indigeant: eamdem sententiam, quam, S. Maximus primam Honorii epistolam pervolvens, de sensu verborum quae in eadem leguntur tulit, quisque attente eam legat proferre cogitur. Perspicue quidem de una humana voluntate, quae nullam contrariam secundum carnem voluntatem patiatur, Honorium loquutum fuisse colligitur.

Idem iudicium de hac epistola Ioannes IV protulit, qui post brevissimum Severini Pontificatum anno 640 ad supremum Romanae Ecclesiae solium evectus est; in Apologia pro Honorio, ad Constantinum Imperatorem filium Heraclii ita scribit: « Omnes

Occidentales partes scandalizatae turbantur, fratre nostro Pyrrho Patriarcha per litteras suas huc atque illuc transmissas, nova quaedam, et praeter fidei regulam praedicante, et ad proprium sensum, quasi sanctae memoriae Honorium Papam attrahere festinante, quod a mente Catholici Patris erat penitus alienum..... De sancta quoque ipsius incarnata dispensatione docebat (Honorius), quia Redemptor noster, sicut esset Deus perfectus, ita esset et homo perfectus: ut quam Primus Homo per praevaricationem amisit, sine aliquo peccato natus, primam imaginis nobilem speciem renovaret. Natus est ergo Secundus Adam, nullum habens nascendo, vel cum hominibus conversando, peccatum... Unde scientes, quod nullum in eo, cum nasceretur, et conversaretur, esset peccatum, decenter dicimus, et veraciter confitemur, unam voluntatem in sanctae ipsius dispensationis humanitate, et non duas contrarias mentis, et carnis praedicamus; secundum quod quidam Haeretici velut in puro homine delirare noscuntur. Secundum hunc igitur modum, iam dictus Decessor noster, praenominato Sergio Patriarchae percontanti scripsisse dignoscitur. Quia in Salvatore nostro duae voluntates contrariae, idest in membris ipsius, penitus non consistunt, quoniam nihil vitii traxit ex praevaricatione Primi Hominis..... Praedictus igitur Decessor meus docens de mysterio Incarnationis Christi, dicebat, non fuisse in eo, sicut in nobis peccatoribus, mentis, et carnis contrarias voluntates. Quod quidam ad proprium sensum convertentes, et divinitatis eius, et humanitatis, unam voluntatem docuisse suspicati sunt, quod veritati omnimodis est contrarium ». Probat itaque Ioannes IV suum decessorem Honorium docentem unam esse in Christo voluntatem humanam, et negantem duas esse, secundum carnem, et secundum spiritum sibi oppositas voluntates catholice loquutum fuisse. Plura alia addere possumus, sed quae dicta sunt, satis ostendunt, quod probare aggressi sumus, Honorium in suis Epistolis nullum contra fidem errorem docere, ac omnia orthodoxo sensu ab eo scripta fuisse.

Nunc vero quod secundo loco asseruimus probandum breviter est, nullam in hisce Litteris fidei definitionem contineri. Ut huius no-

strae assertionis veritas appareat, sufficit, ut Sergii ad Honorium Epistola, et huius ad Sergium responsum simul conferantur: inspectis enim hisce epistolis facile intelligere quisque potest, Honorium totam controversiam totum Orientem agitantem in sola quarumdam vocum interpretatione consistere, pro certo habuisse, adeoque ad pacem conciliandam non solum ab asserenda in Christo gemina operatione, sed ab ipsa una operatione praedicanda abstinendum esse dixit. Sergii Epistola in Actiono duodecima Concili VI lecta est, et videri potest apud Labbè, Col. 951. In ea narrat primo Sergius, quod dum bellum adversus Persas Heraclius gereret, redarguens Paulum unum ex haereticis Severianis principem, coram eo controversia excitata est utrum una, vel duae operationes ac voluntates essent in Christo dicendae. Imperator Cyrum tunc Lazorum Metropolitanum de hac re interogavit, qui respondit, nescire subtiliter, utrum unam, an duas operationes Christi veri Dei nostri adstruere necesse sit. At ab Imperatore per litteras de hac quaestione ipse interrogatus, unam operationem asserendam esse responderat, spe fretus, ita ad unitatem Ecclesiae faciliori ratione Severianos perducendi. *Et silentium quidem ex illo tempore huiusmodi suscepit Capitulum.* Postea Cyrus Lazorum ad Patriarchatum Alexandrinum promotus et unitatem fovens, septem addidit Capitula, inter quae *unum existit capitulum de una operatione Christi magni Dei et Salvatoris nostri*: ex quo factum est ut populi Aegypti, Thebaidis, et Lybiae, aliique, qui *in innumerabilem haereseon multitudinem erant discissae, unum labium facti* essent omnes, una vox, et in unitate spiritus recta Ecclesiae dogmata confiterentur. Addit; cum gravi unitatis damno huic Capitulo Sophronius Monachus ad Hierosolymitanum Patriarchatum postea evectus, firmiter obstitit, duas operationes Christi Dei nostri dignum inquiens censeri: at quoniam nihil profecerat cum Cyro, dicente quod *oporteat utique etiam in praesenti, dum tantorum millium populorum salus prae manibus ponitur, nihil de hoc per contentionem altercari, idcirco quod etiam a quibusdam sanctis Patribus vox huiusmodi dicta est, nihilque de hoc laedatur recta fidei ratio.* Sophronius mox Constantinopolim veniens secum egit, ut ex iis Capitulis

hoc controversum adimeretur. Subiungit: *Durum nos hoc arbitrati sumus. Quomodo enim non esset durum, et valde onerosum, quando hoc resolvere, evertereque erat futurum, quidem omnem illam concordiam, atque unitatem, quae bene fuerat effecta, tam apud Alexandrinam magnam Civitatem, quamque per universas sub ea provincias, quae nullo tempore usque nunc acquieverant?* Addit se Sophronium excitasse, ut testimonia Patrum duas nominatim, et ipsis verbis operationes in Christo dicendas tradentia promeret; ille autem hoc facere penitus non valuit. Et subdit « Nos vero considerantes, incipientem ex hoc inter quosdam hic contentionem exardescere, et scientes, quod semper ex huiusmodi decertationibus haereseon dissentiones effectae sunt, necessarium iudicavimus, omne studium ponere ad sedandum, atque amputandum talem superfluum verborum conflictum, et ad saepe dictum sanctissimum Alexandriae Patriarcham scripsimus; ut postquam unitatem cum his, qui pridem separabantur, Deo auxiliante composuit, *de cetero nullam permitteret unam, aut duas proferri operationes in Christo Deo nostro.* » Inferius dicit hoc silentium praecepisse: « Eo quod unius quidem operationis vox, quamquam a quibusdam sanctis dicta est Patribus, tamen peregrina videatur, et perturbare aures quorumdam suspicantium ad peremptionem hanc proferri inconfuse, atque secundum subsistentiam unitarum in Christo Deo nostro duarum naturarum, quod non est unquam, nec fiat. Similiter autem ut duarum operationum dictio multos scandalizet; utpote a nullo sanctorum, et probabilium Ecclesiae institutorum edita ». Ex his et aliis quae postea adiungit, diserte apparet, subdole Sergium Honorio demonstrare intendisse hanc controversiam, quae initae pacis cum haereticis, et unitatis iacturam induxerat, non de aliquo dogmate sed de solis vocibus esse, quapropter hisce verbis Epistolae finem imponit, Pontificem rogans, ut quaeque super his vobis fuerint placita, significare velit.

Honorius qui nunquam de Sergii fide in suspicionem venerat, his litteris deceptus est, et ratus Sergium quoque, aliosque, qui huius Patriarchae partem sequebantur, duas naturas, id est divinitatis, et carnis assumptae, in una persona unigeniti Dei Patris inconfuse, in-

divise, et inconvertibiliter, secum *praedicare propria operantes:* facile existimavit, dogmate in tuto posito hanc solam vocum questionem esso, ex qua gravia oritura essent scandala, nisi utrique parti silentium imponeretur: quapropter muneris sui esse existimavit, ad tuendam pacem sive do una, sive de duabus operationibus silentium praecipere. Sedulo autem est animadvertendum quod huius haeresis initio, eius principes caute errorem suum verborum involucris tegere curarunt; et in Oriente parum haeresis nota ac divulgata erat, in Occidente autem prorsus ignota, adeoquo nullum ex hoc silentio scandalum veniro videbatur. Mirum itaque non est, si dum adhuc in vivis erat Honorius, et post eius mortem, statim neque ut haereticus neque uti improvidus damnatus est. Tunc primum ipse reprehensus est quando Monothelitao Honorii litteris, ac lato silentii praecepto abutentes, apertius, ac tutius suam haeresim disseminaverant. Cum itaque Honorius suis litteris ad Sergium hunc tantum finem sibi proposuerit, ut ad impedienda gravia quae imminebant scandala, in quaestione, quam falsis eiusdem Sergii artibus deceptus de solis vocibus existimabat, silentium sive da una sive de gemina operatione imponeretur, nullam fidei definitionem edere voluit; nihil enim damnavit, nihil credendum proposuit, sed catholico sensu in iis loquutus, silentium de controversis vocibus imposuit.

His vero accedunt. 1° Quod in his conscribendis litteris Honorius nullo usus est adiutorio, quo uti superius adprobavimus, constanter in dogmaticis definitionibus ex cathedra edendis Summi Pontifices usi sunt: Nullum institutum fuisso examen apparet, nulla Synodus coacta fuit, unde ipse ad Sergium scribit; « non oportet ad dogmata haec Ecclesiastica retorquere quao neque Synodales apices super hoc examinantes, neque auctoritates canonicae visae sunt explicasso, ut unam, vel duas energias, aliquis presumat Christi Dei praedicare: quas neque Evangelicae vel Apostolicae litterae, neque Synodalis examinatio super his habita visae sunt examinasse ». Ipse enim fatetur nullum de hac controversia examen instituisse, quod definitionibus Pontificiis praecedere solet. 2° Honorius apertissime declarat in Epistola secunda, se de veritate dogmatis, nullam velle definitionem edere dicens: « Non nos oportet unam vel duas

operationes *definientes* praedicare », ac ideo ad solum illarum vocum usum istud praeceptum esse referendum: rotundis igitur verbis dogmaticam definitionem ipse excludit. Cum itaque Honorius ipse declaraverit definitionem de sententiae veritate nolle proferre, quomodo dici possit, eum in dogmatica fidei definitione errasse non videmus.

Fatendum igitur est, Honorium nimia credulitate abreptum, improvida oeconomia usum esse, quam tamen ipse in Ecclesiae utilitatem cessuram esse putaverat, sed e contra malis Monothelitarum artibus pessimos effectus habuit: haec vero causa fuit, ut eius in hoc negotio agendi ratio censura digna fuerit reputata.

At adversarii quae in Concilio oecumenico sexto adversus Honorinm acta sunt opponunt. Huius Concilii Patres *Actione VIII* Honorii Epistolas iudicarunt, *omnino alienas ab Apostolicis dogmatibus, et Definitionibus Conciliorum, et cunctorum probabilium Patrum, sequentes vero falsas doctrinas haereticorum.* Hinc damnatis Monothelitarum principibus, de Honorio ita loquuntur: « Cum his vero simul proiici a Sancta Dei Catholica Ecclesia, simulque anathematizari praevidimus, et Honorium qui fuit Papa antiquae Romae, eo quod invenimus per scripta quae ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus eius mentem secutus est, et impia dogmata confirmavit. » In Actione vero XVI pluries *Honorio haeretico anathema dictum est.*

Gravissimi Scriptores non desunt qui Acta sextae Synodi corrupta ab haereticis fuisse sentiant; inter hos est Baronius qui ad annum 681 efficaciter ostendit, manu impii Theodori Patriarchae depravatam fuisse sententiam latam a Patribus sextae Synodi contra haereticos Monothelitas, apposito Honorii nomine ac suo sublato. Nolumus in exponendis horum Scriptorum argumentis immorari, at praeterire non possumus, quod conciliari non possint quae adversus Honorium Patres dixerunt, cum maxima illa reverentia qua Agathonis epistolam susceperunt. In eadem enim Actione lecta est haec epistola, in qua, damnans Pontifex nominatim Monothelitas haereticos, nedum ullam de Honorio, saltem tamquam de illo errore suspecto mentionem facit, sed diserte affirmat omnes

praedecessores suos Romanos Pontifices ab omni haereticae pravitatis suspicione prorsus immunes fuisse. Si igitur Concilii Patres admittere non dubitaverint, nullum Romanum Pontificem de haeresi suspectum fuisse, quomodo in eadem Sessione sententiam illam adversus Honorium ferre potuerint?

Sed hac methodo difficultatem obiectam diluendi omissa, ne variis implicemur tricis, dicimus. In Concilio sexto Honorius damnatus fuit, non uti haereticus, sed ut haereticorum fautor, quia ex nimia credulitate improvvida oeconomia utens, et aliquibus incautis locutionibus, quas haeretici ad haereticum sensum ex malitia detorquebant, et super gemina operatione silentium indicens, auxilium et favorem, licet absque sua formali culpa, haeresi praestitisse visus est. Optimus quidem huius Concilii interpres est Leo II, qui post sextam Synodum Agathoni successit; hic in Epistola, pro confirmatione huius Synodi ad imperatorem Constantinum Pogonatum, hisce verbis uti novi erroris inventores Monothelitas damnat: « Pariterque anathematizamus novi erroris inventores, id est, Theodorum Pharanitanum Episcopum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, Constantinopolitanae Ecclesiae subsessores, magis quam Praesules: necnon et Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicae traditionis doctrina illustravit, sed profana traditione immaculatam maculari permisit ». Primos itaque uti adiventores erroris seu uti haereticos damnat; at secundum, non uti haereticum, sed quia sua in Monothelitarum causa agendi ratione, officio suo defuit, et incendium statim ac ortum fuit, non extinxit, imo sua negligentia confovit; prout idem Leo in Epistola 2, ad Episcopos Hispaniae scribit: « Qui vero adversus Apostolicae doctrinae puritatem perduelles extiterunt, abeuntes quidem aeterna condemnatione mulctati sunt, id est Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus Constantinopolitani, cum Honorio, qui flammam haeretici dogmatis, non ut decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit ».

Idem eruitur ex Edicto quod Constantinus Pogonatus praecipiens ab omnibus Concilii decreta esse servanda, tulit, quodque legitur post Actionem VIII. Imperator plerisque Concilii Actionibus inter-

fuit, et omnia quae in eo pertractata fuerunt optime noverat, ac Concilii mentem in condemnatione Honorii facillime assequi poterat; haec itaque in eo Edicto tradit: « Super haec omnia anathematizamus eos, qui supervacuorum et novorum dogmatum haeretici Auctores, atque Fautores sunt. Dicimus autem Theodorum qui fuit Pharanitanus Episcopus, et Sergium qui fuit huius a Deo conservandae nostrae Regiae Urbis Antistes . . . . Ad haec et Honorium, qui fuit antiquae Romae Papa, horum haereseos in omnibus fautorem, concursorem, atque confirmatorem ». Distinctionem instituit inter haeresis Auctores, et Fautores, illos uti vere haereticos anathemate perculit, fautores vero, quia haeresi favorem auxiliumque praebuerunt, atque inter hos Honorium damnat. Agnovit igitur non uti haereticum, sed uti haereticorum fautorem a Concilio Honorium condemnari.

Haec confirmari possunt ex iis quae in Diurno Romanorum Pontificum habentur. In formula fidei Professionis in eo relata, quam novus creatus Pontifex pronuntiare consueverat, una cum Monothelitis, etiam Honorius sed diversimode anathemate perculsus erat; illi ut haeretici, hic vero uti haeresis fautor; haec sunt Professionis verba: « Inter veneranda universalia quinque Concilia, etiam sanctum sextum universale Concilium centum septuaginta quinque venerabilium Praesulum praedicamus, quod favente Deo, et votum piae memoriae magni Principis nostri Domini Constantini clementer implente, in Urbe Regia, eo praesidente, celebratum est, cui Apostolicae recordationis Agatho Papa per Legatos suos, et Responsales praefuit, cuius venerabilem Tomum celebriter assequentes, eos qui novo et haeretico dogmate immaculatam Dei Ecclesiam polluere nitebantur, et errasse manifestius probaverunt, et cum sui erroris Auctoribus atque Fautoribus, perpetuo anathemate damnaverunt. . . . . Auctores vero novi haeretici dogmatis Sergium, Pyrrhum, Paulum et Petrum Constantinopolitanos, una cum Honorio, qui pravis eorum assertionibus fomentum impendit ». Non igitur ob haeresim anathematizabatur Honorius, sed ob favorem haeresi impensum, ex quo error radices obtinuerat ea poena dignus reputatus fuit.

Neque difficultatem faciunt verba a Patribus in Honorium prolata in Action. XIII, XIV et XVI, quibus Patres in eodem cum Sergio aliisque haereticis crimine, Honorium quoque copulare videntur: etenim licet in Actione XIII de eius Epistolis ad Sergium ita loquuti sint: « hasque invenientes omnino alienas existere ab Apostolicis Dogmatibus, et a definitionibus Sanctorum Conciliorum, et cunctorum probabilium Patrum, sequi vero falsas doctrinas Haereticorum, eas omnimodo abiicimus et tamquam animae noxias execramur ». Statim enim post haec, eos *quorum impia execrantur dogmata*, et quorum nomina ob professam haeresim, a *Sancta Dei Ecclesia proiici iudicarunt:* ab Honorio distinguunt, cumque anathema feriunt, eo quod inveniunt *per scripta quae ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus eius mentem secutus est, et impia dogmata confirmavit.* Execrantur Patres Honorii ad Sergium Epistolas, non quia haeresim continent, aliter cum aliis haereticis Sergio Pyrrho etc. anathemate eum mulctassent; sed quia sua omissionis, ac negligentiae culpa, Sergio quaerenti ut unius et geminae operationis voces supprimerentur, cum tanto Ecclesiae damno iudulsit, atque hac de causa dicunt, eum damnare, quia sua negligentia haeresim novam confirmavit. Neque obstant verba illa « quia in omnibus eius mentem secutus est »; quid enim subdole requisiverat Sergius? hoc unum, ut in hac vocum, prout aiebat, controversia, ad vitanda scandala hae voces supprimerentur, et hanc eius mentem secutus est Honorius de hisce vocibus silentium praecipiens. Haec itaque verba non ad haereticam Sergii mentem, seu non ad errorem ab eo mente conceptum, sed ad eius intentionem referenda sunt, cui ob nimiam credulitatem obsequutus est Pontifex, et qua per optatum silentium a Pontifice impositum haeresim confirmare, ac tutius et latius spargere cogitaverat. Supra vidimus catholicam doctrinam Monothelitico errori adversam diserte in his litteris ab Honorio tradi, quae Monothelicae haeresi, cui mente Sergius fuerat irretitus, et pro qua pervicaciter dimicabat, prorsus repugnat; quapropter verba illa Concilii Patrum non ad errorem, sed ad Sergii petitionem referenda sunt.

Verba vero Concilii Patrum dicentium « *alienas epistolas, ab Apostolicis Dogmatibus, et a Definitionibus Conciliorum, et cunctorum probabilium Patrum, sequentes vero falsas doctrinas haereticorum* », hunc sensum habent. Est quidem alienum ab Apostolicis et SS. Patrum mandatis et ab eorum exemplis, omnimodam vigilantiam non servare, et non cavere ne ab haereticorum artibus, in rebus fidei decipiamur; fidem strenuo ac palam non defendere, novas pullulantes haereses statim Apostolico gladio non configere, ac omnem diligentiam in insectandis, et coercendis haereticis non adhibere, et silentium servare quando vera fides in discrimen venit. Ecclesiae Patres, ac praesertim Summi Pontifices in his curandis omnem diligentiam, curamque adhibuerunt. Recolantur ea quae Celestinus I ad Episcopos Galliarum scripsit: « Timeo ne connivere sit hoc tacere: timeo ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus causis non caret suspicione taciturnitas: quia occurreret veritas si falsa displicerent. Merito namque causa nos respicit, si silentio faveamus errori ». Et Sanctus Leo in Epistola ad Theodoretum dicit: « Ad maiorem Dei gloriam proficit finis examinis, quando ad hoc se accipit exerendi fiducia, ut vincatur adversitas, ne quod per se probatur reprobum silentii praeiudicio videatur oppressum ». Merito Imperatores Honorius et Theodosius, in Rescripto ad Aurelium Carthaginensem Episcopum hoc effatum dicunt: « una eademque culpa est eorum, qui aut dissimulando, conniventiam; aut non damnando, favorem noxium praestiterint ». Atqui sexta Synodus cum gravissima mala vidisset, quae ex silentio ab Honorio in suis litteris servato, et aliis imposito super geminam operationem, in Ecclesiam venerant, easdem literas alienas esse dicit a traditionibus Sanctorum Patrum ac Pontificum, qui in novis erroribus profligandis ac in haereticis coercendis solliciti ac diligentissimi semper fuerunt. Ob imprudentem itaque oeconomiam, qua siluit Honorius, quando, nova erumpente haeresi, loqui debuisset, eamque pro suo munere insectari, ac profligare, et praesertim ne haeretici eius auctoritate in sua confirmanda haeresi adhuc abuterentur, tum gravissimis verbis Concilii Patres eius memoriam reprehenderunt.

Probavimus itaque in suis Epistolis, catholicam doctrinam de duabus in Christo voluntatibus et operationibus Honorium exposuisse, et quando in epistola prima unam voluntatem in Christo esse dicit, disertè de voluntate humana loquutum fuisse, ad exclusionem duarum voluntatum, quae sibi invicem opponuntur, una secundum spiritum, altera secundum carnem. Secundo nullam in his Epistolis definitionem fidei edidisse, imo aperte declarasse, nullam ea de re definitionem dare voluisse; ac ad evitanda quae a Sergio deceptus metuebat scandala, sola imprudenti oeconomia usum fuisse. Tertio ob hanc imprudentem oeconomiam, qua Monotholitae abusi sunt cum gravi fidei damno in sexta Synodo tam graviter eius memoriam suggillatam fuisse. Non videmus itaque quomodo Pontificiae infallibilitati adversarii ex Honorii facto pro se argumentum validum exquirere valeant. Catholicus ipse semper fuit, ac catholice in suis litteris locutus est, nullam fidei definitionem edidit, quapropter eius lapsus in fidei definitione dogmatica certe non fuit; solum ipse omissione, subreptione, ac improvida credulitatè, ac oeconomia, quam optimam in circumstantiis existimavit, usus est, quae ex malitia haereticorum in scandalum cessit. At nemo catholicorum dixit Summos Pontifices infallibiles esse in rebus gerendis, ac factis peculiaribus; cum assistentia divina sit illi promissa solum, quando uti universales totius Ecclesiae Doctores in rebus fidei ac morum omnes fideles docent, aliquid definientes ab omnibus credendum, ac retinendum.

CAPUT III.

DE CONDITIONIBUS REQUISITIS UT PONTIFEX EX CATHEDRÀ LOQUI, ET IDEO INFALLIBILIS DICATUR.

Cathedra moraliter sumpta, est potestas vel auctoritas superior, et locus doctrinae supremus, a quo omnes doceri debent, iuxta illud Matthaei: « Super cathedram Moysi sederunt Scribae, et Pharisaei, omnia quaecumque dixerint vobis servate et facite ». Unde Augustinus (Tract. 46 in Ioan.) dicit: « *Cathedra locus doctrinae est de quo praedicatur fides* ». Petri itaque Cathedra locus significatur

supremus potestatis, ac evangelicae doctrinae magisterium. Summus autem Pontifex in hac Petri cathedra sedens, aliquando loquitur rogatus ac respondet et aliqua pronunciat tamquam privatus Doctor, uti aperte dicit Ioannes XXII (Extravag. *Quia quorumdam de Verb. Signif.*); aliquando vero tamquam Pontifex ac verus Divi Petri successor. Cum autem sit apud omnes notum Summum Pontificem solum infallibitatis privilegio gaudere dum tamquam Divi Petri successor et ex Cathedra loquitur, hinc inquirendum est, quaenam Pontificiae definitiones habendae sint ex cathedra latae, seu an in his edendis aliquae sint conditiones a Summo Pontifice servandae, ut tanquam infallibiles sint ab omnibus excipiendae.

ARTICULUS I.

Conditio ex parte obiecti.

Prima conditio est ut intra proprii obiecti limites definitio contineatur. Duo sunt in Christi Religione rerum genera, unum respicit ea quae sunt ab omnibus credenda; alterum versatur circa praecepta morum, ea nimirum quae sunt agenda, quaeve omittenda. Huius secundi generis alia omnino necessaria, ac immutabilia sunt, sic vetitum semper est adulterium, etc.; alia vero libera, et mutationi obnoxia: alia quoque sunt saluti fidelium necessaria, alia sine salutis dispendio ignorari ac omitti possunt.

Hisce positis certum est, Summum Pontificem errare posse non solum si ut privatus Doctor in quavis materia loquatur, verum etiam si loquatur ut Pontifex in quaestionibus facti non pertinentibus ad communem Ecclesiae fidem, Religionem, ac morum sanctitatem, et nullatenus cum iure connexis; item in quaestionibus facti quae nimirum ad privatas personas et Ecclesias referuntur, ac tandem in rerum gestarum iudicio, et in ipsis privatis praeceptis ac legibus. Christus enim ad fidei et communionis unitatem tuendam pro Petro eiusque successoribus a Patre obtinuit, ne unquam in iis quae ad hunc finem consequendum sunt necessaria, errarent, ne detrimentum unitas caperet; sed ad illud bonum assequendum in-

fallibillitas Summi Pontificis in his haud est necessaria; nullum siquidem praeiudicium unitati irrogaretur, ex. gr. si Summus Pontifex erraret in ferendo iudicio, au aliquis Episcopus sit crimini obnoxius, ac puniendus vel non. Ratio a priori est quia haec iudicia, hae privatae leges, ac privata praecepta, testimoniis hominum innituntur qui falli, et fallere possunt. Divus Thomas (Quodl. 9 art. 16): « In sententiis quao ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de possessionibus, de criminibus, vel do huiusmodi, possibile est iudicium Ecclesiae erraro propter falsos testes ». Hinc Summus Pontifex licito alicui privato homini quibusdam positis circumstantiis id praecipere posset quod rationi, ac Evangelio adversatur, si ex. gr. ubi Tridentini decretum promulgatum non est, viro praecipiat ut uxoro clanculum prius ducta, relicta, posteriorem accipiat, quam in facio Ecclesiae, ac pubblice sibi matrimonio copulavit. Rationem affert Innocentius III in Capito *A nobis De sententia excommunicationis* in haec verba: « Iudicium Dei veritati quae non fallit, nec fallitur, semper innititur. Iudicium autem Ecclesiae nonnunquam opinionem sequitur, quam fallero saepe contingit, et falli; propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus, et qui liber est apud Deum, Ecclesiastica sit sententia innodatus ». Si vero agatur de doctrina morum quae ad salutem necessaria sit, et ad omnes pertineat, quemadmodum Ecclesia, ita et Romani Pontifices in suis decretis infallibiles sunt.

Hic esset exponendum, ad quao Summi Pontificis infallibilitas extendatur; sed hoc ita breviter designamus. Summus Pontifex in iis omnibus infallibilis est dicendus, quae ad infallibile Ecclesiae iudicium pertinent, quia in singulis huiusmodi materiis eadem argumenta occurrunt, quae hoc privilegium ad tuendam unitatem necessarium a Christo successoribus Divi Petri collatum fuisse ostendunt. Eadem enim est infallibilitas et in Romano Pontifice, prout est Ecclesiae Caput, et in universa Ecclesia docente: imo ex Capite in Ecclesiae corpus infallibilitas profluit. Episcopi sine Romano Pontifice, infallibilitatis praerogativa non gaudent, etiamsi in generali Concilio congregentur, neque huiusmodi Concilii Decreta irreformabilia essent, nisi Romani Pontificis approbatione accedente.

ARTICULUS II.

Conditiones ex parte actus.

Secunda conditio, quao ipsum definitionis actum respicit, est Pontificis libertas ab omni vi, coactione, ac metu. Si enim ab ipso civili iure irriti habentur actus, vi aut metu extorti, eo vel magis nullam cogendi vim ad assentiendum obtinent ea, quao a Summo Pontifice vi, vel metu gravis mali adacto credenda proponuntur. Laethalis peccati reus esset Pontifex qui intentata sibi nece ad vitam conservandam verba verae fidei contraria pronunciaret et non suam sed alienam fidem proponeret, quam ipse interius non crederet, neque eam proclamaret, nisi ad id cogeretur. Christi promissio ad servandam Ecclesiae unitatem Petro data, ne eius fides unquam in suis etiam successoribus defectura esset, illam tantum fidem respicit, quam confessus est Apostolus, et quam libere, ac solemniter profitentur eius legittimi successores, non autem eam, quae persecutionum metu ab altero eis imponitur. Quapropter si Pontifex metu victus aliquid contrarium fidei definiret, non esset quidem asserendum Pontificem ex cathedra loquentem errasse; non enim loqueretur ex cathedra. Tunc solum dicimus Pontificem ex Cathedra loqui, quando nulla vi, ac metu cogente, libere ad tuendam Ecclesiao unitatem, et ad dissensiones in rebus fidei ac morum compescendas aliquid circa fidem credendum proponit, vel aliquid tamquam fidei oppositum damuat, ac eos qui aliter sentiant, uti haereticos, et a communione Ecclesiae separatos anathemato punit. Altera ex parte actus conditio est ut matura deliberationo sit imperatus, nimirum ut Pontifex adhibita morali diligentia, ac serio examime de SS. Scripturarum, et uniformis traditionis Ecclesiarum sensu, articulos in materia fidei ac morum definiat, omnes cogens fideles ad eos credendos.

ARTICULUS III.

Conditiones quae ab aliquibus immerito postulantur, reiiciuntur.

Recentiores aliqui Doctores qui post Constantiense Concilium scripserunt, auctoritati Romanorum Pontificum invidentes, tanquam conditionem necessariam, ut eorum in materia fidei et morum definitiones irreformabiles sint, exigunt, ut ea in aliquo generali Concilio tradantur. Alii vero animadvertentes, Concilium generale non ita facile et frequenter cogi posse ac consequenter difficillimum, ac fere esse impossibile in omnibus quae in rebus fidei ac morum exoriuntur controversiis hoc uti remedio, facile admittunt in Romano Pontifice ratione primatus primas in iis definiendis partes, easque definitiones irreformabiles esse dicunt, ac vim coactivam obtinere ut omnes iis assentiantur fideles; sed requirunt, ut Ecclesiae dispersae consensus accedat, si non expressus, saltem tacitus. Hi enim attendentes, plura ad errores haereticorum profligandos a summis Pontificibus edita fuisse decreta quin in aliquo generali Concilio discussa fuissent, aut plurium Episcoporum expresso consensu confirmata, quae vim apud omnes Christi fideles obtinuerunt, hanc vim non Summorum Pontificum auctoritati, sed totius Ecclesiae, vel Episcoporum tacito consensui adscribendam esse existimarunt.

Alii tandem, inter Cathedram Romanae Sedis et inter Pontificem in cathedra sedentem distinguentes, fidei decretis a Summis Pontificibus editis obedientiam hac conditione praestandam esse dicunt si iuxta eius cathedrae doctrinam et communem Ecclesiae catholicae traditionem edita fuerint. Bossuet (Lib. Defens. decl. c. 1. in Append. novae edit.): « Quousque, dicit, pateat, quid Concilia, quid denique Scriptura, et scripturae interpres traditio poscat ». Et Lib. 10, al. 15, c. 2 ita expressis verbis dicit: « Quoties successores Petri communem Ecclesiarum fidem ex communi traditione pro officio promerent ».

At vera et catholica doctrina est, nullam harum conditionum necessariam esse ut Romanorum Pontificum decreta in rebus fidei ac morum vim cogendi obtineant, sed satis esse ut Summus Pontifex non tamquam privata persona, sed solemniter tamquam omnium fidelium supremus Pastor ac Petri successor, eademque Petri auctoritate aliquid in rebus fidei ac morum ita definiat, ut eos, qui contrarium teneant, errare, et a vera fide, et Ecclesiae catholicae communione deficere etiam declaret. Et licet Romani Pontifices in iis decretis edendis uti soleant consilio sive Episcoporum qui vel in oecumenica vel in particulari Synodo sint collecti, sivo S. Romanae Ecclesiao Cardinalium, sivo aliorum Doctorum; attamen haec externa subsidia ut licite et prudenter agant, requiruntur, non autem necessaria sunt existimanda, ut ea decreta vi cogendi fideles potiantur. Quae omnia totidem distinctis paragraphis ostendemus.

§. 1.

Pontificia in rebus fidei et morum decreta absque Concilio Oecumenico edita, irreformabilia sunt, et vim obligandi obtinent.

Generalia Concilia utilia valde sunt ut fidei controversiae solemnius discutiantur, ut facilius fidei ac morum decreta exequutioni mandentur et haereticorum pervicacia efficacius retundatur; at sine Concilio Summus Pontifex fidei, ac morum decreta condere potest eaque irreformabilia sunt.

Ex SS. Scripturarum testimoniis superius expositis ostendimus, Christum Dominum ad tuendam et conservandam in Ecclesia fidei, et communionis unitatem Petrum non modo cum iurisdictione Ecclesiae Caput, sed etiam supremum Doctorem constituisse, eidemque omnes suas oves docendi, ac in salutaribus doctrinae pascuis pascendi munus commisisse; et quoniam tota Ecclesia eius fidei, quam in Ecclesia praesertim Romana aedificanda erat praedicaturus, tamquam totius aedificii fundamentalis inconcussae

petrae adhaerere immobiliter debebat, ne ea fides ex diaboli insidiis, quas ipse praeviderat, cum totius Ecclesiae damno esset aliquando defectura, infallibilitatis privilegium a Deo Patre pro Petro eiusque successoribus obtinuisse, ne in confirmandis fratribus, et in tuenda unitate unquam eorum fides deficeret, atque ita eadem fides immobilis ac inconcussa fundamentalis illa petra esset, cui usque ad mundi exitum Ecclesiae aedificium inniteretur. Hoc autem Divinum privilegium nulli conditioni alligatum sed absolute Petro ac eius successoribus tantum tributum a Domino fuit; et quemadmodum uni Petro dictum est, *pasce oves meas,* ita quoque eidem solum dixit Christus: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Si enim Petri fides alio praeter divinum indigeret auxilio, ut immobilis ac indefectibilis esset, idem privilegium et ipsi adiumento tributum fuisset ne potius erroris esset occasio; sed exclusive pro Petro tantum Christus Patrem rogavit. « Pro fide Petri proprie supplicavit, inquit S. Leo (loc. cit.), tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. » Ipsa itaque Petri mens fuit divinae gratiae auxilio confirmata, ut nunquam ex diaboli insidiis vinceretur, et sicut per suos successores Petrus Ecclesiam regit ac fideles docet, ita quoque eorum mens, ne unquam a veritate deflectat, eodem auxilio confirmata est.

Hinc Ecclesiae Patres inerrantiae privilegium personae Petri, ratione primatus suis successoribus transmittendum, fuisse absolute tributum, ex Christi verbis agnoverunt, quin aliqua, ut ad actum reduceretur, necessario requireretur conditio. Quapropter S. Cyprianus (loc. cit.) profitetur fidei errorem ad Romanos Pontifices non posse habere accessum, eosquo vicem Christi gerentes angularem totius Ecclesiae aedificii petram constituere, cui omnes fideles ne ab unitate deficiant, per fidei communionem adhaerere coguntur; solam igitur Pontificum fidem, quin alio communita sit auxilio, petram immobilem agnoscit. Et S Irenaeus (loc. cit.) propter solam principalitatem Ecclesiae Romanae, in qua, ob Christi promissionem Petro factam, apostolica conservata est tradi-

tio, probat omnes ubique fideles eiusdem fidei teneri sincero corde adhaerere. Recolantur Patrum testimonia superius adducta, ex quibus manifeste probatur divinum hoc privilegium tantum Petro, ac eius successoribus fuisse tributum, quin in eius exercitio aliqua necessario servanda sit conditio.

Hac absoluta potestate fidei ac morum edendi decreta sine oecumenico Concilio usi sunt et Petrus, et eius successores. Orta Apostolorum tempore celebri illa controversia de necessitate circumcisionis pro gentilibus ad fidem conversis, Petrus sine universali Concilio neo-conversos Gentiles a circumcisionis necessitate absolvens, sententiam protulit. Illud autem Concilium non universale, sed particulare fuisse supra demonstravimus.

Summi autem Pontifices nedum tribus primis Ecclesiae saeculis, quando nullum adhuc oecumenicum coactum fuerat Concilium, sed etiam postea plura fidei ac morum condiderunt decreta ac novas exurgentes haereses definitivo ac irreformabili iudicio damnaruut. Huc revocanda sunt ea exempla quae superius adduximus, praesertim ubi ex monumentis historicis nostram thesim probavimus; ibi namque ostendimus, Summos Pontifices suis tantum dogmaticis decretis plures haereses damnasse, ac nedum fideles, sed et ipsa Oecumenica Concilia omni subiectione ea excepisse. Extra Concilium generale Novatianum eiusque sectatores damnavit Cornelius, Rebaptizantes Stephanus, Damasus Apollinarem eiusque discipulum Timotheum, etc. Ita quoque vidimus, qua veneratione Patres Concilii Ephesini Sancti Caelestini decretum exceperint, quo Nestoriana haeresis damnata, eiusque auctor Nestorius anathemate fuit perculsus; et qua animorum submissione ad anathematizandum se ex mandato Pontificis coactos esse, fassi sint. Aliud attulimus splendidissimum monumentum Chalcedonensium Patrum, qui veluti ex ore Petri dictatam Leonis Epistolam habuere qua Eutyches damnabatur. Quid vero dicam de iis quae in sexta Oecumenica Synodo acta sunt, in qua Patres summa consensione sententiis, quae in Agathonis epistola leguntur, adhaerentes, hoc divinum privilegium Pontificio Primatui tributum, ibidem disertis verbis memoratum cognoverunt? Ex his

aliisque monumentis ibidem collectis facile probatur, Oecumenicas Synodos tamquam fidei regulas excepisse Romanorum Pontificum ex Cathedra loquentium extra Concilium in rebus fidei ac morum decreta, atque ita apertissimum testimonium de hoc divino privilegio, quo sola Sedes Romana exornatur, exhibuisse. His addi potest, non alia ratione quarumdam Synodorum Provincialium decreta uti fidei regulas in Ecclesia habita fuisse, ut de Concilio Arausicano, Milevitano, aliisque constat, nisi quia a Romano Pontifice confirmata fuerunt; ex quo etiam evincitur extra Oecumenicum Concilium in Summis Pontificibus circa res fidei ac morum Spiritus Sancti assistentiam ac infallibilitatem haberi.

Neque ex his consequitur inutile esse Oecumenica Concilia convocare, si solus Pontifex extra Concilium omnes fidei controversias infallibili iudicio definire, omnesque haereses profligare posset. Etenim sedulo est animadvertendum hoc inter Pontificia, et Conciliorum generalium decreta intercedere discrimen: Pontifex in iis fidem ac traditionem exhibet Romanae Ecclesiae, centrum totius Ecclesiae unitatis, cuius fidei prôpter eius principalitatem omnes aliae Ecclesiae, omnesque fideles assentiri coguntur, ne ab unitate desciscant; Concilia vero generalia fidem ac traditionem singularum Ecclesiarum Catholici Orbis referunt, quae necessario cum iis, quae Pontifex docet convenire, invenitur, atque ita manifestius apparet, Summum Pontificem eam proponere fidem quae totius est Catholicae Ecclesiae. Quae igitur a Pontifice fide divina credenda decernuntur, iam per se vera de fide sunt, neque eorum veritas ab Oecumenici Concilii definitione pendet, sed extrinsecum ab ea robur accipiunt, ita ut evidentius erroris revincantur adversarii, ac haereticorum pertinacia appareat, atque etiam pii fideles exultent aspicientes, quam maxima intercedat consensio inter ea quae a Summo Pontifice credenda proponuntur, et ea quae omnes Ecclesiae per Orbem dispersae fide divina tenent. Quae a S. Leone Eutychis causa gesta sunt, haec demonstrant. Dogmatica S. Leonis Epistola vim ante Chalcedonense Concilium obtinuit obligandi omnes fideles, ad reiiciendam, tamquam haereticam, doctrinam ab Eutyche propositam;

et cum omnium Ecclesiarum commotione non esse necessarium existimavit S. Flavianus oecumenicum Concilium convocare. Attamen ad Eutychianorum pervicaciam retundendam, nedum eidem Epistolae suum expressum consensum Orientis, ac Occidentis Episcoscopi manifestantes subscripserunt; sed cum haec satis non fuissent, Calcedonense Concilium fuit celebratum. Equidem Concilii Patres neque de veritate dogmatis, neque de vi coactiva Leonis Epistolae cui iam consentientes subscripserant, dubitare poterant, sed Concilii auctoritatem Eutychianis obiicientes ut clarius eorum pervicacia manifestaretur, nullum illius Epistolae auctoritati, quam ex iussu Pontificis absque ullo examine receperant, praeiudicium afferre existimarunt. Haec satis mihi videntur demonstrare Romanos Pontifices in rebus fidei ac morum etiam extra Concilium Generale prorsus infallibiles esse.

§. 2.

Ut Decreta Romanorum Pontificum in rebus fidei, ac morum irreformabilia habeantur, et fideles obligent ad credendum, non requiritur ut accedat tacitus Ecclesiae consensus.

Haec praenotanda sunt. 1. Exploratum est, Summorum Pontificum in rebus fidei ac morum decreta, ut vim fideles obligandi obtineant, ad iis tamquam irreformabilibus fidei regulis firmiter assentiendum, sufficienti promulgatione necessario indigere. « Lex imponitur, ut ait S. Thomas (1, 2, qu. 90, Art. 1), aliis per modum regulae et mensurae; regula autem et mensura imponitur iis qui regulantur et mensurantur. Unde ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod applicetur hominibus qui secundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione. Unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc quod lex habeat suam virtutem. » Unde Paulus Apostolus (ad Romanus Cap. 10) dicit « Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem au-

dicent sine praedicante? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi ». 2. Non desunt Theologi ac Canonistae qui nedum civilibus, sed Ecclesiasticis quoque legibus vim obligandi adimant, nisi post earum promulgationem fidelium consensus et acceptatio accedat, quae tamen sententia validiori ac veriori ratione ab aliis communiter reiicitur. At usque ad haec postrema tempora inauditum in Ecclesia fuit, Romanorum Pontificum decreta in rebus fidei ac morum, saltem tacito et pene universali Episcoporum ac fidelium consensu indigere, ut iis omni intellectus submissione assentiri opus sit. Primas quidem partes hi Novatores ratione Primatus Pontificibus non denegant; sed eorum fidei decretis vim coactivam, ac infallibilitatem non per se tribuunt, sed dummodo Ecclesiae consensus saltem tacitus accesserit. Quantum autem hi Pontificiae auctoritatis osores a veritate aberrent, facile ostendi potest.

Est dogma fidei in Oecumenico Concilio Florentino post plures collationes et disputationes inter Graecos et Latinos, omnium consensu definitum, Romanos Pontifices eadem potestate regendi ac pascendi universam Ecclesiam praeditos esse, quam Petrus a Christo Domino obtinuit: « Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, et Ro-
« manum Pontificem in universum Orbem tenere Primatum, et ipsum
« Romanum Pontificem successorem esse Beati Petri Principis Apo-
« stolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput,
« et omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, et ipsi in
« Beato Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Eccle-
« siam, a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam
« esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum,
« et in Sacris Canonibus continetur ». Atqui Petrus absolute, et independenter ab omni Pastorum, fidelium et Ecclesiae consensu pascendi in verae doctrinae pascuis omnes fideles ac regendi Ecclesiam a Christo Domino potestatem mutuatus est. Ipsi soli tamquam Primatum gerenti omnium Ecclesiarum cura, et sollicitudo concredita est hisce Salvatoris verbis, in amoris toties asserti praemium *pasce agnos meos, pasce oves meas*, quin discipulorum, aliorumque qui pascendi erant, consensu in huius muneris exercitio indigeret. Ipse

est petra et crepido Catholicae Ecclesiae, et rectae fidei fundamentum, ut cum una voce appellarunt Chalcedonenses Patres; eidemque tradidit Christus nedum fideles pascendos, sed et ipsos Pastores, ut in Sermone de Natali SS. Petri, et Pauli S. Eucherius Lugdunensis Episcopus scribit: « Prius agnos deinde oves commisit ei; « quia non solum Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit. « Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves, pascit filios, pascit « igitur et matres, regit et subditos, et Praelatos. Omnium Pastor « est quia praeter agnos et oves in Ecclesia nihil est ». Rursus: « Petrus inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, schisma« tis tollatur occasio » (S. Hieronymus lib. 1, in Iovin. n. 26); scilicet ut in eius fide tamquam in centro omnes Ecclesiae particulares conglutinarentur, et in una Cathedra unitas ab omnibus servaretur, prout inquit S. Optatus Milevitanus; et praevidens Christus pericula et fidei dissensiones, ne Ecclesiae unitas ac fides periclitaretur, uni Petro, citra fratrum aliorumque discipulorum consensum, munus fideles omnes in fide confirmandi commisit, ac pro eo tantum ne eius fides unquam deficeret, Patrem rogavit. Ergo Petri successores, Romani Pontifices, ob tributam sibi a Domino eamdem absolutam potestatem Pastores ac fideles omnes pascendi ac regendi, quae Petro collata fuit, vim obtinent cogendi citra eorum consensum omnes fideles sive oves, sive agnos, ad assentiendum veritatibus fidei ad credendum propositis.

Haec autem ita confirmantur. Ut in Ecclesia fidei unitas ac communionis servaretur, iurisdictione praeditum Primatum instituit Christus, hac de causa prae aliis unum Petrum elegit, eique tantum ac eius successoribus supremam regendi ac gubernandi totam Ecclesiam potestatem contulit: at hunc finem assequutus non fuisset Christus, si definiendi auctoritatem in rebus fidei ac morum, ac potestatem omnem Ecclesiam, sive Pastores sive ceteros fideles cogendi ad assentiendum absque tacito eorum consensu Petro eiusque successoribus non tribuisset. 1. Hac posita conditione, ut irreformabiles Pontificiae definitiones haberentur, Primatus ipso destrueretur, qui in suprema auctoritate consistit regendi ac gubernandi universam Ecclesiam, ac omnes fideles cogendi ad unitatem

fidei ac communionis cum centro Romano Pontifice; suprema in communitate auctoritas est quae sola vim suis legibus devinciendi subditos praebet; ea autem suprema dici non valet, quae alterius consensui obnoxia, nisi eo accedente, vim obligandi legibus suis conferre non potest: atqui talis esset Romani Pontificis auctoritas, si in decretis condendis pene universali Episcoporum, et Ecclesiae consensu indigeret, eo enim denegato nullam obligandi vim eius decreta obtinerent. 2. Quisque teneretur, antequam iis assensum praestaret quae a Summo Pontifice sunt in rebus fidei ac morum definita, examen instituere, utrum Ecclesiae ac Episcoporum consensus iis decretis accessisset; quod neque brevi tempore, neque sine pluribus ac gravibus difficultatibus ab iis praesertim obiectis qui contrarium sentiunt, expediri posset. Facile autem dissentientes, ac suos errores contra fidem disseminantes ad Sedis Apostolicae iudicium labefactandum, simplicibus, atque incautis suadere possent, pro latis definitionibus Ecclesiae consensum adhuc desiderari, atque ita haereses et schismata, cum unitatis damnò, altioribus defixis radicibus valde difficilius possent extirpari. 3. Constanter apud Ecclesiae Patres catholicitatis signum habitum est, ac veluti tesseram ad haereticos et schismaticos discernendos semper fideles habuerunt, cum Ecclesiae Romanae fide convenire, uti patet ex iis quae narrat Ambrosius (*Lib.* 1. *num.* 17) de ultima fratris sui Satyri die: « Advocavit ad se Episcopum, nec ullam veram putavit, nisi verae fidei gratiam, percunctatusque ex eo est, utrumnam cum Episcopis Catholicis, hoc est cum Romana Ecclesia conveniret? » Cupiens Satyrus certa nota dignoscere utrum Episcopus loci, quem advocaverat, Catholicus esset, satis esse existimavit, eum interrogare, utrum cum Romanae Ecclesiae fide conveniret. Patres Concilii Constantinopolitani IV, Actione 1, sequentibus verbis proclamant, idem esse Apostolicae Sedi non consentire, ac a communione Ecclesiae Catholicae separari: « Sequen- « tes in omnibus Apostolicam Sedem, et observantes eius omnia « constituta, speramus, ut in ipsa communione, quam Sedes Apo- « stolica praedicat, esse mereamur, in qua est integra et vera Chri- « stianae Religionis soliditas: promittentes etiam sequestratos a

« communione Ecclesiae catholicae, idest non consentientes Sedi « Apostolicae, eorum nomina inter sacra non recitanda esse my« steria ». Atqui si Pontificia decreta ea conditione indigerent, concordia cum fide quae a Sede Apostolica proclamata est ac definita, catholicitatis tessera non esset; posset enim quis illi repugnare absque haeresis ac schismatis nota, donec certo sibi constaret utrum Episcoporum ac Ecclesiae consensus accessisset. 4. Ea conditione posita, haec praeterea sequerentur: si quis dissensus adesset inter Pontificem qui aliquid ut fidei obiectum suo decreto proponeret, et praesules ac fideles, qui decreto repugnarent, vel supremus controversiarum fidei iudex in Ecclesia deficeret, vel ad generale Concilium tamquam supremum fidei tribunal esset recurrendum, atque ad illud possent fideles appellare; si enim Episcopi ac fideles renuendi potestatem haberent iis quae tamquam fidei dogmata a Summo Pontifice sunt definita, quia in deposito revelationis ea non contineri existimarent, iudex aliquis in hoc dissensu esset constituendus, ut sententiam proferret, an vera ac de fide essent, quae a Pontifice proponerentur. At quisnam esset hic iudex? Nullus alius excogitari potest nisi oecumenicum Concilium. Quapropter vel nullus in Ecclesia daretur supremus controversiarum fidei ac morum iudex, vel ad Concilium oecumenicum esset appellandum; atqui neutrum dici potest. Non primum quia haereticum est asserere, non satis Christum Ecclesiae suae eiusque unitatis bono consuluisse, eam absque supremo controversiarum iudice relinquendo, qui fideles in dubiis docere posset, ac in Ecclesia viva fidei regula esset. Non secundum, quia oecumenica Concilia convocare, eorum acta retractare vel approbare unus Pontifex potest, uti ex Epist. S. Leonis ad Imperatorem Leonem, atque ex aliis traditionis monumentis evincitur, quae apertissime demonstrant Pontificem esse supra Concilium; in Bulla autem *Coenae* anathematizantur ii qui a Pontificiis decretis ad generale Concilium appellant. 5. Ex constanti traditione (cuius monumenta superius recensuimus) ab ipso Apostolorum aevo constat, fideles summa animorum sollicitudine fidei causas ad Romanum Pontificem uti ad supremum Iudicem a Christo in Ecclesia positum, ac eadem cum Petro pote-

state praeditum retulisse, et vera humilitate eius responsa, ac definitiva iudicia excepisse. Romani autem Pontifices mature cum suo Concilio, seu congregatione discussa, dogmatica responsa concesserunt, quin Episcoporum vel Ecclesiae consensum exquisierint; neque fuerunt solliciti ut per totam publicarentur Ecclesiam, sed postulantibus responsa data, per accidens evenit, ut in aliis quoque provinciis divulgarentur. Ex his quae iam in medium protulimus, manifestum fit, quanta fidelium veneratione, eo tempore quo Patres floruerunt, hanc supremam potestatem definiendi in rebus fidei ac morum citra Episcoporum ac fidelium acceptationem exercuerint Pontifices; et quomodo praecipuarum Orbis Sedium Antistites, quorum interfuisset hoc ius imminuere, nunquam reclamaverint; quin imo pro viribus hanc infallibilem ac supremam auctoritatem celebrantes, tam in fidei, quam in disciplinae quaestionibus definiendis Romanae Cathedrae iudicium, uti viventis Beati Petri oraculum exquisiverint. Ii tantum sequentibus saeculis infensissimi Primatus hostes eius iura impugnarunt, qui propter ambitionem in schisma conversi, non a Capite solum, sed a vera fide recesserunt: quapropter Augustinus Iulianum his verbis coarguebat: « Quid adhuc quaeris examen, quod iam factum est apud Sedem « Apostolicam? » Lib. Oper. imperf. contra Iulianum 103). Et Innocentius Primus ad Patres Concilii Milevitani haec scribit: « Diligenter ergo et congrue Apostolici consulitis honoris arcana « (honoris inquam illius quem praeter illa, quae sunt extrinsecus, « sollicitudo manet omnium Ecclesiarum) super anxiis rebus, quae « sit tenenda sententia, antiquae scilicet regulae formam sequuti, « quam toto semper ab Orbe mecum nostis esse servatam. Verum « haec missa facio; neque enim hoc vestram credo latere pruden« tiam, quid enim actione firmastis, nisi scientes quod per omnes « provincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper ema« nent? Praeterea quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes « Fratres et Coepiscopos nostros nonnisi ad Petrum, id est sui no« minis, et honoris auctorem referre debere, veluti nunc retulit ve« stra dilectio, quod per totum mundum possit omnibus Ecclesiis « in commune prodesse ». Agebatur de causa fidei Pelagianorum

ac nullnm praebet indicium de necessitate Praesulum ac Episcoporum consensus.

Tandem haec conditio nullimode convenire potest cum hac Pii IV fidei professionis formula totius Orbis catholici veneratione consecrata, in qua Pontifex haec tenenda esse praescripsit: « Agnosco « Sanctam Catholicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum « Matrem, et Magistram: Romanoque Pontifici, Petri Apostolorum « Principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam « spondeo ac iuro ».

§. 3.

Tertia conditio exploditur.

Facile erroris revincuntur ii qui tertiam superius expositam conditionem exigunt, ut Pontificia fidei decreta irreformabilia sint ac vim obligandi obtineant. Primo animadvertendum est, distinctionem illam inter Romanam Sedem et Summum Pontificem esse falso confictam, quasi possit aliquis cum Romana Sede communicare, et in eius fidei unitate uniri, licet a Summi Pontificis communione sit praecisus. Etenim Romana Sedes Apostolica, quam Christus Dominus tamquam unitatis centrum posuit, est ipso Summus Pontifex Divi Petri successor, cui ad unitatem servandam Primatus iuribus ac praerogativis ornatus a Christo Domino collatus fuit, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio, et praesertim unitas ab eo vindicaretur; quae omnia personalia sunt Pontificis, adeoque qui a fide, ei communione Romani Pontificis scinditur, et ab ipsa Apostolica Sede separatur. Equidem quando Ecclesiae Patres necessarium esse tradiderunt, ut fideles omnes ad unitatem servandam cum Apostolicae Sedis fido convenirent, his diversis nominibus Cathedrae, Sedis, vel Ecclesiae Romanae, nonnisi Summi Pontificis fidem intellexerunt; quia Primatus praerogativae, ac iura personae Petri eiusque successoribus alligata, ideo Romanae Sedi conveniunt, quia in eadem Petrus sedit, eiusquo successores Pontifices Romani sedent. Quapropter S. Hieronymus Apostolicae Sedis

fidem inquirens Romanum Pontificem consuluit, eiusque responsum nulla interiecta distinctione uti Sedis Apostolicae habuit; « Ego, inquit, Beatitudini tuae idest Cathedrae Petri comunione consocior ». Ita quoque S. Augustinus loquens de iudicio ac damnatione Pelagianorum ab Innocentio I pronuntiata, passim promiscue Pontificis et Apostolicae Sedis verbis utitur, ac si unum idemque iudicium esset, ideoque (de Peccato Origin. cap. 7) *Apostolicae Sedis Episcopale iudicium,* vocavit, seu Summi Pontificis; et S. Prosper scripsit (contra collat. num. 15) *Sacrosancta Petri Sedes per universum orbem Papae Zosymi sic ore loquitur*. Cum itaque semper iuxta communem Ecclesiae loquendi modum in fidei tradenda doctriua, ac in aliis Primatus iuribus exercendis nulla unquam interposita distinctio fuerit inter Summum Pontificem, et Apostolicam Sedem, merito S. Petrus Damianus ita ad Alexandrum Secundum scripsit: « Vos Apostolica Sedes, Vos Romana estis Ecclesia » (Oper. 20, c. 1). Quando autem S. Irenaeus dicit, necessarium esse ut omnes fideles cum Romano Pontifice communicent, ac cum eius fide conveniant propter potentiorem principalitatem Romanae Ecclesiae, hoc nomen pro Romanis Pontificibus accipit, prout eruitur ex eorum recensita serio quam statim subtexuit. Manifestum itaque est distinctionem inter Summos Pontifices et Romanam Sedem uti prorsus falsam esse respuendam.

Hisce positis si Pontificia decreta antequam vim fideles cogendi obtineant, inquirendum esset an cum anteactis definitionibus Romanorum Pontificum qui praecesserunt, seu cum Romanae Sedis traditione, atque etiam cum aliarum Ecclesiarum traditione, convenirent, iisdem gravissimis, quae supra indicavimus, malis cum unitatis Ecclesiae damno aditus pateret. Quisque enim ab iis definitionibus huius conditionis praetextu dissentire posset, nisi prius sibi constaret utrum nova Pontificis definitio cum aliis Pontificiis decretis, ac cum aliarum Ecclesiarum traditione conveniret; hinc latissime cum unitatis discissione haeresibus, ac schismatibus via aperiretur. Quisnam autem in hoc dissensu supremus iudex constitueretur, qui sententiam ferret, utrum Pontificis decretum hac gauderet conditione, ut vis coactiva esset ei tribuenda? Vel suprema ita-

que fidei regula in Ecclesia deficeret, vel ad oecumenicum Concilium esset recurrendum. Cum ergo eadem pericula, ac gravia incommoda ex hac conditione cum totius Ecclesiae damno oriri certum sit, quibus praecedens conditio obnoxia, idem de hac postrema conditione est ferendum iudicium.

Praeterea si praedecessorum Pontificum decretis ratione primatus est vis coactiva tribuenda, eamdem vim cuiuslibet Pontificis decreta obtinent, cum par in quolibet Pontifice sit auctoritas agnoscenda. Quilibet Pontifex est Divi Petri in Primatu successor, quilibet Primatum obtinet; cuilibet ergo omnis Primatus auctoritas, ac iurisdictio, ac eadem iura competunt. Christus Divo Petro eiusque singulis successoribus, non autem ipsi Pontificum seriei Primatum cum suis dotibus, ac iuribus tradidit, aliter, ceu pluries diximus, unitatis bono non consuluisset.

Tandem Ecclesiae Patres in Summis Pontificibus ratione Primatus ad Ecclesiae unitatem tuendam hanc supremam, ac absolutam auctoritatem agnoverunt irreformabili iudicio fidei controversias dirimendi, ac vim fideles ad obedientiam cogendi, quin aliquam ad haec conditionem requisierint, atque uno ore affirmarunt, absolute ac sine ulla conditione Romani Pontificis fidei decretis summo cordis obsequio, esse ineluctabiliter assentiendum. Concilia quoque Oecumenica Romani Pontificis in rebus fidei, ac morum definitiones ea veneratione exceperunt, qua Divi Petri, ac ipsius Divini Salvatoris oracula excepissent, et Petrum in suis successoribus viventem, per eorum os loquentem, et Ecclesiam fidei veritates docentem in Summorum Pontificum decretis venerati sunt. Recolantur ea, quae superius adduximus, Patrum ac Conciliorum generalium monumenta.

ARTICULUS IV.

An teneatur Summus Pontifex ex Cathedra aliquid circa fidem ac mores definiens consilium seu Episcoporum, seu Cardinalium, seu Doctorum exquirere.

Reiectis conditionibus ab iis invectis qui Romanorum Pontificum auctoritati detrahere, eamque imminuere conantur, modo est inquirendum, an saltem aliquibus consiliariis uti debeant Pontifices antequam in fidei ac morum controversiis definitivum iudicium proferant. Tria hic discutienda sunt. 1. An ut decreta fideles cogere valeant ad assentiendum iis quae fide divina credenda proposita sunt, a Summo Pontifice sint condenda adhibitis prius consiliariis, qui mature re discussa consultivum saltem pro definitione suffragium dederint. 2. An peccet Pontifex si absque ullo doctorum virorum consilio fidei ac morum definitionem condat. 3. quae fuerit Romanorum Pontificum praxis in hisce definitionibus tradendis. Quoad primum haec praemittimus. Plures Doctores tenent, Pontifices errare non posse, licet diligentia, et consultatio non praemittatur, ut Valentia (quaest. 1, punct. 7, §. 4, obiect. 6). Alii vero dicunt, eo ipso quo Deus assistat Pontifici ne decipiatur, assistere etiam ut debitam diligentiam adhibeat, et ex certitudine illius primi inferri certitudinem istius secundi, ut Canus (de Locis lib. 5, cap. 5 ad 2), et Granado (Tract. 7, disput. 2, sect. 2, num. 13). His praemissis dicimus: si Summus Pontifex in Sacris Scripturis, ac in Theologicis disciplinis sit maxime doctus, ac ea doctrina praeditus sit, ut absque aliorum virorum doctorum auxilio, ac consilio Sacrarum Scripturarum sensum, Ecclesiae traditionem, ac Theologorum sententias exquirere ac discutere per se ipse valeat, ac etiam propositionem aliquam in Scripturis ac in traditione contineri iudicare possit, atque ita absque aliorum consilio ipse solus, post maturum examen, aliquid de fide credendum definiat, absolute loquendo infallibilis est, et fideles propositae fidei assentiri coguntur.

Absolutam ac independentem a quocumque aliorum consilio Christus Dominus potestatem regendi, pascendi, in fide confirmandi fideles Petro eiusque successoribus contulit, uti ex recensitis SS. Scripturarum testimoniis manifestum apparet: absolute enim, et absque ulla irritante conditione ei dictum est: « *Tibi dabo claves – Pasce oves meas, – Confirma fratres tuos* ». In hisce Christi verbis plenariam potestatem Petro eiusque successoribus Christus dedit, et nullum apparet vestigium, supremam hanc potestatem docendi, ac ad fidei unitatem cogendi omnes fideles, intra limites aliorum consilium prius exquirendi coarctatam fuisse. Siquidem plenaria potestate non gaudet is qui eam exercere valide non potest nisi alterius suffragium intercedat. Profecto si ex Christi institutione in hisco Primatus actibus exercendis, ad eorum valorem, aliorum consilium Pontifices adhibere tenerentur ad finem sibi praestitutum in Primatus institutione assequendum, Christus indicare debuisset, quinam essent consulendi; ne autem hi in errorem Summum Pontificem, qui eorum consilium teneretur sequi, cum damno fidei totius Ecclesiae inducere possent, infallibilitatis privilegio eos donasset. E contra Christus Petri ac eius successorum fide tamquam unitatis centro ac fundamento posita, pro sola fide Petri ne unquam deficeret, Patrem rogavit, ne corruente fundamento totum Ecclesiae aedificium corrueret, et soli Petro, eiusque successoribus, non eorum consiliariis, hoc privilegium contulit. Quod si neque ex Scripturis, neque ex Traditione aliquod iudicium erui potest, infallibilitatis privilegium consiliariis Summi Pontificis fuisse tributum, consequitur, absolute necessarium non esse, ut Pontifices eorum consultivum suffragium, quod sequi non tenentur, exquirant.

Si pervolvantur Patrum ac Conciliorum generalium testimonia superius relata, facile quisque colligere potest, Patres ac Concilia Summorum Pontificum dogmatica decreta tanta suscepisse veneratione, veluti si ab ipso Petri ore dictata fuissent; ita Patres Chalcedonenses epistolam Leonis, Patres Concilii sexti Agathonis Epistolam, et septimi decretum Adriani habuerunt, nunquam inquirentes utrum consiliarii a Summo Pontifice in iis decretis condendis adhibiti fuissent. Pontifices in suis decretalibus Literis, licet regulas

prudentiae sequentes de aliorum consultu eas ediderint, nunquam tamen existimarunt, eos necessario ad valorem adhibendos esse, sed ex plenitudine potestatis a Christo Domino Petro eiusque successoribus concessae se locutos fuisse declararunt, ut ea decreta legentibus apparet. Haec ex iis confirmantur quae Nicolaus I, (Epist. 10) ad Carolum Regem scripsit: « Sedes haec sancta, atque « praecipua cui Dominici gregis sollicitudo, curaque commissa est, « in omnibus mundi partibus rectitudinis suae dispositione salubri, « cuncta ordinare, proficereque divino freta procurat auxilio, et « quod singulari etiam auctoritate perficere valet, multorum saepe « Sacerdotum decernit definire consensu ». Haec quoad valorem Pontificum definitionum dicta sint: nunc quoad licitudinem.

Dicimus 2. Ut Summus Pontifex in fidei ac morum decretis condendis, licite se gerat, studium ac consilium adhibere tenetur doctorum virorum, qui in S. Scriptura, Theologia, ac in iure canonico sint periti. Exploratum est, definitiones in fidei controversiis, quibus quid sit credendum proponitur, ex Sacra Scriptura, vel ex Traditione esse eruenda, uti vel ipsa Theologica ratio docet, ac Romani Pontifices in suis decretalibus, et ipsa Concilia Oecumenica fatentur; unde Hormisda (Epistola 70) dicit Traditiones esse sequendas, alioquin a recto tramite deviatur; et Adrianus I (Epistola 4) ait, se defendere Septimam Synodum quia ex Traditione Imaginum sacrarum cultum definivit: idque confirmatur Epist. 79 Evaristi, Epist. 1 Alexandri I, et Epist. 4 Xysti I. Atqui licet Summus Pontifex doctissimus ac in Sacris Scripturis, in Sanctis Patribus, ac in Sacris Canonibus maxime sit versatus, quod, ut ex Ecclesiastica Historia apparet, non in omnibus, qui Pontificias claves tenuerunt, verificatur; attamen Pontificalibus ac totius Ecclesiae curis distractus, est moraliter impossibile, ut per seipsum Patrum, ac Sacrae Scripturae interpretum, ac Theologorum volumina pervolvere valeat; sed est necessarium ut eos doctos viros adhibeat, qui summa diligentia ac studio, quid in his sacris fontibus contineatur, submissa veneratione eius iudicio subiiciant. Hanc methodum ipsa Oecumenica Concilia, quibus plures semper doctissimi Episcopi interfuerunt, sequuta sunt, congregationes Theologo-

rum statuendo qui materiis discussis, quid ex Scripturis explicite vel implicite erueretur, quid Sancti Ecclesiae Patres ac veteres Doctores docuissent, quid ex Ecclesiasticae Historiae monumentis colligi posset, quid Catholicae Universitates Theologicae sentirent, in medium proferrent, ut mature Episcopi Spiritus Sancti assistentia sententiam definitivam edere possent. Idipsum egisse dicendum est Romanos Pontifices Anacletum, Damasum, Leonem, Gelasium, Hormisdam, Agathonem, Hadrianum, qui in suis litteris sententiam ex iis quae Sacra Scriptura, et Traditio docet, prolatam esse fatentur: praesumi enim non potest, tempus iisdem superfuisse tantam voluminum molem evolvendi, sed doctorum virorum studio ac consilio ipsi usi sunt ad ea maturo examine decernenda.

Si itaque Pontifex sua doctrina confisus omnem doctorum consultationem in definiendis fidei ac morum controversiis negligeret, in re gravissima imprudenter operaretur: atqui in re gravissima deliberato imprudenter agere illicitum est: Paulus (ad Timoth. Cap. 3) ait: « Oportet Episcopum esse prudentem ». Petrus Apostolus: « Estote ergo prudentes et vigilate in orationibus vestris » (Epist. I, Cap. 4). In Proverb. (Cap. 24): « Erit salus ubi multa consilia ». Ecclesiasticus (Cap. 32, v. 4): « Fili, sine consilio nihil facias, et « post factum non poenitebis ». Ergo illicite ageret Pontifex, si per se ipsum absque ullo studio ac consilio Doctorum rem fidei aut morum ex cathedra definiret.

At fortasse aliquis dicet: Christus assistentiam suam Petro eiusque successoribus promisit, ne in iis definitionibus decipiantur. Ergo Pontifex de hac divina assistentia securus, non tenetur quasi de se dubitaret, iis uti prudentiae regulis quae in aliis gravissimis negotiis adhiberi solent. Respondeo: Divina promissio Pontificem ab obligatione non eximit, qua ex iure naturae devincitur, prudenter quae Ecclesiae proponit, ad examen revocandi. Si quis in gratia fuerit a Deo confirmatus, tenetur tamen et praecepta servare, et eam, sicut antea, diligentiam adhibere, quae necessaria est ut pericula peccandi vitare ac suas obligationes agnoscere possit. Confirmatio enim in gratia efficit, ut ob divinam providentiam, et assistentiam in mortalis noxae reatum ille non incidat, vel (ut aliqui ve-

lunt) nequeat peccare mortaliter; sed est providentiae divinae ut toti suae obligationi satisfaciat. Idem in nostro casu dicendum est. Petrus eiusque successores ita in fide sunt a Domino confirmati ut in ea fidelibus tradenda errare non possint: at haec confirmatio obligationem non aufert, ad examen prius vocandi, quae sunt proponenda, et quemadmodum confirmatio alicuius in fide interna, non eum eximit a naturali obligatione prius cognoscendi, an quae credit, sint sufficienter proposita, sic confirmatio in fide externa proponenda obligationem naturalem non tollit examinis circa ea quae aliis proponuntur, sed efficit, ut ob divinam providentiam, et assistentiam nil a Pontifice absque sufficienti examine fidelibus credendum praebeatur, prout ex ipso facto contingisse constat.

Dicimus 3. Romani Pontifices prudentiae regulas sequentes a Sancto Petro usque ad haec nostra tempora fidei morumque decreta ediderunt, ac novas erumpentes haereses definitivo iudicio profligarunt in aliquo Generali Concilio, vel saepissime coacto prius Episcoporum particulari consensu, pluries vero, praesertim posterioribus saeculis, adhibito S. R. Ecclesiae Cardinalium studio, ac consilio, nunquam tamen absque Thelogorum ac Doctorum consultatione. Huius Romanorum Pontificum praxeos indubia a primis Ecclesiae saeculis monumenta extant, quorum nonnulla speciminis gratia indicabimus.

Victor nonnisi in Concilio Episcoporum celebrem controversiam de die celebrandi Paschatis definivit, ac Theodorum Byzantinum Christi divinitatem et mortem negantem damnavit. Cornelius coacto Episcoporum Concilio ad instantiam S. Cypriani, constituit lapsos ad poenitentiam admittendos esse, ac Novatianorum et Catharorum haeresim anathemate perculit. Melchiades ad dirimendam controversiam Caeciliani, et Donatistarum Carthaginiensium Concilium convocavit.

Quatuor Concilia convocavit Damasus, ac in tertio Apollinaristarum haeresim profligavit. Nestorianam haeresim, ac ipsum Nestorium in Romano Concilio Caelestinus I damnavit, eique decem dies ad resipiscentiam dedit: vidimus autem qua veneratione Ephesini Patres Caelestini decretum amplexi sint. Gelasius in Concilio 70

Episcoporum libris apocryphis proscriptis, sacrorum librorum Canonem confecit. In Concilio Romano 105 Episcoporum Monothelitarum haeresim anathemate confixit Martinus I, cuius decretum eius successor Agatho in alio Concilio 125 Episcoporum, novo decreto confirmavit, ac postea ad Patres sexti oecumenici Concilii transmisit, ut superius enarravimus.

Inutile esse existimamus alia promere exempla, cum exploratum sit, nunquam summos Pontifices fidei ac morum decreta condidisse, nisi prius adhibitis Conciliorum ac Theologorum consultationibus, prout quisque ea decreta pervolvens observare potest; et licet post Ioannem XXII provincialia Concilia usque ad Benedictum XIII ipsi non celebraverint; tamen Cardinalium Congregationibus (quae Concilii particularis locum tenent), ac Theologorum cônsilio constanter usi sunt antequam fidei, morumque controversias dirimerent. Notum est quanto studio ac cura Bullam *Unigenitus* Innocentius X confecerit. Narrat in Vita Alexandri VII Cardinalis Pallavicinus, pluries duodecim Consultorum, quorum ipse unus erat, ac quorundam Cardinalium Congregationem coram se Innocentium collegisse, qui, discussione usque ad quinque vel sex horarum spatium protracta, vota singuli scripto tradebant. Ita quoque Pius VI gravem adhibuit diligentiam ac prudentiam, ante quam Bullam *Auctorem Fidei* ederet. Tandem nos ipsi vidimus quot studia, ac diligentiae adhibitae fuerint, antequam Immaculatae Conceptionis dogma definiretur. Constat igitur quod superius diximus, cum ob divinam inerrantiae promissionem Summus Pontifex ab obligatione naturali exemptus non maneat omnem adhibendi diligentiam antequam quae sunt credenda, fidelibus proponat; ex divina providentia factum esse, ut nunquam nisi maturo adhibito examine, et requisitis sive Cardinalium, sive Episcoporum, sive aliorum doctissimorum virorum suffragiis, et nisi ferventissimis precibus divino implorato auxilio, Summi Pontifices quae ab omnibus essent de fide credenda, fidelibus solemniter ex cathedra proposuerint.

CAPUT IV.

AN EXPEDIAT HANC VERITATEM UT FIDEI DOGMA DEFINIRE.

Ex iis itaque quae hactenus ea qua potuimus brevitate, exposita a nobis sunt, manifestum fit in revelationis divinae deposito hanc veritatem contineri: Christum Dominum Petri, ac eius successorum Romanorum Pontificum Primatum hac praerogativa exornasse; nunquam eos in tradendis fidei ac morum doctrinis posse a veritate deficere; quin imo mihi videntur pauca esse nostrae fidei dogmata, quae tam perspicuis gloriari possint divinae revelationis signis ac argumentis, quemadmodum haec veritas gaudet. Profecto nedum Sacrarum Scripturarum testimonia hermeneutice exposita, ac constans SS. Patrum traditio, inerrantiae privilegium Petro, eiusque successoribus fuisse a Christo tributum nos edocent, verum etiam ipsum huius praerogativae exercitium, cum universalis Ecclesiae consensu coniunctum, hanc inter fidei veritates esse recensendam testantur. Profecto universae Ecclesiae consensus aliquid de fide constituere potest, quando enim fideles omnes in aliquo dogmate firmiter credendo unanimi consensu conspirant, cum eo consensu falsitas et deceptio consistere non potest; quia Deus assistentiam suam Ecclesiae praestat, ne in fide tota erret, ac decipiatur. Ex quo principio validissimum argumentum desumitur ad probandum inerrantiam Summorum Pontificum, de qua loquimur, inter fidei veritates esse collocandam; etenim a primis Ecclesiae exordiis fideles omnes fidei decreta RR. Pontificum tum in controversiis definiendis, tum in novis haeresibus profligandis edita summa veneratione ac universali consensu exceperunt, ac quemadmodum aliis dogmaticis veritatibus a Deo revelatis, ita quoque his definitionibus firmiter per intellectus assensum adhaeserunt. Quod in anteactis saeculis factum fuisse legimus, nos superioribus annis nostris oculis vidimus; omnes enim fideles a Summo Pontifice definito dogmate de immaculato Mariae Virginis Conceptu, hanc fidei veritatem sincero corde venerati sunt. At quia veritas aliqua uti fidei

dogma haberi non potest, neque ea firmissimum fidei assensum inclinare valet, nisi etiam credatur infallibilem esse auctoritatem a qua fuit definita, aliter posset subesse dubium, quod fidei divinae repugnet; fideles tamquam fidei dogmata decreta RR. PP. in rebus fidei ac morum excipientes, ac uti haereticos reputantes eos, qui iis definitionibus obtemperare renunt, eos a Christo Domino fuisse hoc privilegio donatos, ut fidei dogma facile constanti et communi consensu retinuerunt.

Factum istud est tam historice certum, ut ipsi novitatis parentes, Gerson, et Maior, haud ausi sint negare, imo expresse testati sint ante Constantiense Concilium sententiam nostram tam firmas in fidelium animis habuisse radices, ut tamquam haereticus qui eam negasset, haberetur.

At nos ipsi qui Episcoporum conventui occasione dogmaticae definitionis de Immaculata Virginis Conceptione coacto interfuisse gloriamur, testimonium reddere possumus universam Catholicam Ecclesiam in eo convenire, ut si decreto dogmatico Summi Pontificis aliquid definiatur de fide credendum, uti verae fidei divinae obiecto ei sit adhaerendum. Etenim postquam Episcopi ex variis Orbis Catholici partibus collati sententiam suam in Bulla dogmatica redigenda protulerunt, omnes uno ore conclamarunt nullum in ea Bulla de Episcoporum consensu indicium apparere debere, sed Petrum per Pium loqui atque ita sola infallibilis Summi Pontificis auctoritate decretum illud firmandum esse dixerunt, cum infallibili auctoritate praeditus sit Pontifex, quando ex cathedra loquens quid credere oporteat, docet.

Huic autem universae Ecclesiae consensui nil officit quod post Constantiense Concilium plures ex Gallia Theologi ac Episcopi contrariam sententiam sequuti fuerint, quin ea damnata uti haeretica fuerit. Etenim eorum sententia a communi Episcoporum, ac fidelium iudicio uti falsa, erronea, et haeresi ac schismati favens semper habita fuit; quod si haereseos nota ea sententia adhuc confixa non fuit, id solum explicitae definitionis Ecclesiae defectui tribuendum est.

Cum itaque agatur de veritate quae communissime a fidelibus saltem ut proxima fidei huc usque retenta est, cuius contradictores, qui hisce postremis aetatibus adversus eam insurrexerunt, modo valde numero imminuti ac paucissimi sint, iam quaeritur utrum expediat, eam uti dogma fidei definire. In hac quaestione est quoque animadvertendum, non solum Protestantes, sed illos quoque perversos homines, qui catholici nomine tantum vocari curant, quin Catholicam fidem practice sequantur, per publicas Ephemerides promulgasse unicum Concilii convocationis finem a Summo nostro Pontifice sibi praefixum esse, ut sua infallibilis auctoritas in rebus fidei ac morum uti dogma definiatur ut securius et maiori efficacia doctrinis quae humanitatis libertati ac progressui favent, censuras inurere valeat, et quin catholicorum ullus iis decisionibus obtemperare detrectet.

His animadversionibus ac cautelis prae oculis habitis, nostra sententia est, expedire, ut in Concilio Vaticano Pontificia infallibilitas dogmatico decreto definiatur. Rationes sunt. Vidimus superius alia de constitutione Ecclesiae dogmata, eius nimirum unitatem, Pontificis primatum, necessitatem cum eo communionis ad salutem, cum infallibilitate Pontificis connexionem habere, ita ut hac de fide non admissa, faciliori ratione Ecclesiae Catholicae inimici illa possent impetere. Cum autem hisce nostris temporibus communiter hominum societatem error invadat, ut ratio omni auctoritatis iugo excusso, in primaevam, ac naturalem se redigat libertatem, opportunum mihi videtur, ut Romanorum Pontificum auctoritas hac definitione roboretur, ac ita fideles, si in communione catholica perseverare velint, Pontificiis definitionibus novos pullulantes errores damnantibus adhaerere summa cordis veneratione cogantur.

His autem accedit, quod a guberniis hodiernis libertate concessa typis edendi, dummodo politicam non offendant auctoritatem, omnes errores Ecclesiae et fidei contrarios, latissima sternitur fidei catholicae inimicis via novarum doctrinarum venenum inter fideles, cum gravissimo animarum damno, disseminandi: cum autem oecumenica Concilia non ita facile ac frequenter cogi possint, expedire mihi videtur, ut promptius, et efficacius his malis remedium afferatur,

dogmatice definire, Summi Ponticis iudicium, quo novae hae doctrinae et errores solemniter profligantur, irreformabile prorsus esse, ac vim habere omnes fideles obligandi. Hoc definito dogmate omne occluderetur contradictoribus effugium, qui ad enervandam et eludendam Pontificiae condemnationis vim dictitare solent, Pontificem in hisce definitionibus infallibilem non esse, et hanc infallibilitatem Pontificis novam esse aliquorum opinionem, ac rem inventam, prout scriptum legimus in Ephemeride *Il Mediatore* (Fac. XI, pag. 330), ubi dicit: « Il magisterio del Pontefice rispettabile « sempre, non è sempre nel medesimo grado, però che possa inse« gnare, secondo i casi, ora con certezza, e talvolta anche, *giusta* « *l'opinione di alcuni, colla infallibilità della Cattedra sua* ». Pariter (Fasc. XXXIII, pag. 1134): « E prima di ogni altra cosa fos« se anche certa (come non è), l' infallibilità del Papa nel definire « le verità rivelate ». Sed nemo ignorat doctrinam de infallibilitate Romani Pontificis, licet adhuc definita de fide non sit, tamen certissimam esse, ac ut fidei proximam communiter haberi; ita ut inter opinabiles res recenseri non possit, neque, meo adderem iudicio, absque peccati laethalis labe, saltem publice, impugnari. Hisce itaque calamitosis temporibus, tum ad Summi Pontificis auctoritatem defendendam, tum ad eius in rebus fidei ac morum decretis vindicandam vim, valde expedire videtur, si proposita doctrina ut fidei dogma definiatur.

Opportunissimum autem submisso iudicio existimarem, pro definitione hanc nancisci occasionem, quae nobis in praesenti Concilio offertur. Ab omnium Episcoporum coetu luculentissima obsequii, venerationis, ac devotionis signa erga Divi Petri Cathedram exhibentur: ferventissime omnes Episcopi Sedi Apostolicae adhaerere attestantur, atque ita cum eo communionis, ac charitatis vinculo copulati sunt, ut unum compactum cum Summo Pontifice corpus efficiant. Profecto haec singulorum Episcoporum cum Ecclesiae Capipite arctissima coniunctio, quae nunc conspicitur, anteactis saeculis non apparet; ex qua etiam universalis inter eos consensus oritur, quo Regnantis Summi Pontificis decretis submisse obsequuntur.

Quid autem de hoc Summi Pontificis privilegio tum Episcopi, tum universi fideles modo sentiant, ex his quae in dogmatica definitione de Immaculata Conceptione nos ipsi conspeximus, eruitur. Episcopi enim ut infallibilis Pontificis auctoritas in dogmate definiendo refulgeret, petierunt quemadmodum meminimus; fideles vero communi consensione tamquam verae fidei divinae dogma illam exceperunt; atque ita omnes testati sunt, hanc in eorum animis persuasionem insidere, Summum Pontificem in huiusmodi decretis edendis infallibilem esse. Quare mihi videtur, quod si haec veritas est definienda, opportunior occasio exhiberi non possit, ut definiatur; nullum enim ex hac definitione verendum est inter Episcopos dissidium, nulla contentio, quin imo a maiori parte ea desideratur; neque etiam inter catholicos excitarentur turbae, qui in hoc infensissimo bello a diabolo adversus Ecclesiam excitato, videntes ipsius civilis societatis fundamenta periclitari, maiori cordis, ac amoris affectu cum Apostolica Sede conglutinantur, a qua societatis praesidium expectant. Cum itaque nullum timendum sit malum ex hac definitione eventurum, et maxima pro animarum salute sint bona expectanda, mihi videtur valde opportunum hanc veritatem conciliari decreto sancire.

ERRATA	CORRIGE
Pag. 169 lin. 16. *Unigenitus* —	*Cum occasione*

IMPRIMATUR

Fr. Marianus Spada Ord. Praed. Sac. Pal. Ap. Magister.

IMPRIMATUR

Ioseph Angelini Archiep. Corinth. Vicesgerens.

ROMAE
TYPIS CIVILITATIS CATHOLICAE
1870